

Alte Drucke

**Dauidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Ivdicvm, Rvth, in
Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ**

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

EXPLICATIO MICHEAE ET NAHMI PROPHETARVM.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Chy

EXPLICATIO

MICHEÆ ET NAHVMI PROPHETARVM.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
ET DOMINO, D. IOHANNI FRIDERICO,
STETINI, POMERANIAE, CASSVBTORVM ET
Vandalorum Duci, Principi Rugiæ, Comiti Caicorum, &c.
Domino suo clementissimo, S. D.

AT IN DEO, CVIVS IMAGINEM & vices in his terris p̄ij & laudati Reges ac Principes gerunt, Sapientia omnium gubernatrix, & iusticia, ac bonitas, supra ceterarum virtutum chorūm, præcipue eminent & eluent: ita in sanctis & Deo caris Principibus ac Regibus, quō ad Dei cognationem & similitudinem propius accedunt, eō illustriorem illorum sapientiam, iusticiam & clementiam in reliquo genere humano fulgere & conspici decet. Nam Deus, eam quoq; ob causam, Principes ac Magistratus relique hominum multitudini præfecit, totumq; ordinem politicum insituit, ut diuina sapientia, iusticie, bonitatis & presentia in genere humano testimonia & specula essent: in quibus Sapientia legum, discernens recta à prauis, quarum custodia & executio inter homines virus principibus commendata est: & iustitia Dei flagitans obedientiam cum Lege congruentem, & seuerissimè puniens scelerā in priuatis & totis gentibus: & bonitas ac presentia Dei in societatis humana & ordinis politici conseruatione miranda, laceret ac conspiceretur. ac ut in cœtu & frequentia hominum, vinculis Magistratuū & Legum colligata & deuineta, veram Dei conditoris noticiam alij alijs impertire, & sue fidei ac confessionis deo, & iusticie, dilectionis, beneficentie & ceterarum virtutum Deo placentium testimonia & exempla ostendere possent. Etsi autem ethnici quoque de principibus & magistratibus grauiissimè dixerunt: Διην ὑόμε τέλος ἐστι: Νόμος δὲ ἀρχογονος. αρχαν δε ειναι θεος, οιωνα νοσμηντος, αυτος αυτον ει μουσητα βεω διδειν καλιστα: tamen in sola ecclesia Dei, haec eximia & diuina virorum principum decora & αξιωμata, & veri societatis politicae fines luculentè demonstrantur: & norma sapientiae gubernatricis superiorum & vice priuata certa & immota proponitur Verbum Dei seu doctrina ab ipso Deo tradita: ut vera Dei agnitionis & invocationis (qui summus sapientiae nostre gradus, & principis est virtus maxima nosse Deum) & omnium regende Reipublicae & totius communis vita consiliorum & actionum regula esset.

Aitetur autem & illustratur hæc sapientia, exemplis & historijs Prophetice & alijs: quarum lectio cùm omnibus ceteris ordinibus utilis & iucunda, tum veri Principibus in primis necessaria est. Quia & doctrinæ ac legibus vitam gubernantibus multum lucis historiae adferunt, & sapè in Repub. consilium monstrant, & priuatim in animis amorem virtutis accendent & confirmant. In primis vero Prophetice historiae, & in his, Micheæ, Osee, Esaiæ, & Regum regnorum, Ieremi, Achas, Ezechiæ res gestæ, de multis maximis rebus, Principes & primatos tradunt & confirmant. Nam & testimonia de omnibus doctrinae Christianæ articulis de vero Deo, de Lege & ira Dei ac pœnis aduersus peccata, de Euangeliō, scilicet de Remissione peccatorum, de Persona, Officio & Beneficijs Christi, de veris causis Dei, de aeternis premijs & pœnis illustria, & omnibus ad animarum salutem cognitu necessaria continent: & in historia Ezechiæ, Iosaphati, formam pie gubernationis Ecclesiarum & Rerum publicarum. & exempla calamitatum & mirandarum liberationum in gubernatione: Item causas bona & felicis gubernationis, & horribilium mutationum & euersionis ciuitatum ac regnum, proponunt: Quare consideratione omnes gubernatores utiliter moneri & iuuari non dubium est.

Magna igitur cum voluptate intelligo, & toti Germaniæ de hac felicitate gratulor, quod inclita Cels. vestra, illustrissimorum patris sui Philippi, & auctori Philippi Electoris Palatini, & auunculi Ioannis Friderici, Saxoniae Electori, laudatissime memoria principum, eximie pietatis, sapientiae, iusticie, bonitatis & constantiae gloria præstantium exempla imitans, tum ceteras horum virtutes, dulio in totius vita gubernatione exprimere studet, tum vero adsiduum & accurate lectionem historie & doctrinæ sacrae, quam vult Deus unicam & immutabilem normam esse, & rerum maximarum, in alijs imperijs & regnis, etiam apud ethnicos gestarum, cognitionem studiosè suscipit. Hac de causa etiam, illustris Cels. Vestra non ingratum fore duxi officium meum, quo partem Historie prophetice, videlicet Micheæ conciones, breui dispositione à me illustratas, inclita Cels. Vestra inscribere, & hoc subiectionis & obseruantiae testimonio, Inclita Cels. Vestra reuerenter, me, meaq; studia commendare volui. Filium Dei bonus & sanctorum principum custodem oro, ut inclytam Cels. Vestram in columen florentem seruet, & ad salutem patriæ ac multarum gentium clementer gubernet. Datum Rostochij, prid. Calend. Novemb. Anno 1564.

Inclytam Cels. V.

Reuerenter colens

Dauid Chytraeus

EXPLI

Chyly

EXPLICATIO
PROPHETAE
MICHEÆ.

N prophetarum lectione initio cau-
ſe vocationis, & officium ac doctrina Prophetarum: &
discrimen inter Prophetas & Apostolos ac gubernan-
tores politicos: & singulorum Prophetarum argumen-
ta, & loci doctrinæ præcipui, considerandi sunt. De
singulis igitur hisce capitibus ordine & breuiter dice-
mus.

Principio summum & immensum Dei beneficium est, quod ex genere hu-
mano æternam sibi Ecclesiæ per prophetas & apostolos colligit, quæ ipsum
recte agnoscat & celebret, & cui vicissim Deus suam sapientiam, iusticiam
& vitam in omni æternitate communicet. Ideoq; non modo condidit pri-
mos homines ad imaginem suam, & sapientię Legis ac iusticię suę radijs
mentes eorum illustrauit, verum etiam lapsis in peccatum & mortem, im-
mensa bonitate promissionē de mediatore & Redemptore nostro Iesu Chri-
sto patefecit, propter quem & ipsi in gratiā recepti sunt, & toti humano ge-
neri, fide eam amplectenti iustitia & vita æterna restituenda erat. Cūm igi-
tur hoc uno modo Deus & non aliter agnoscit & colit, & remissionem pecca-
torum ac æternam salutem hominibus impertire, & ecclesiam sibi æternam
colligere velit, videlicet per doctrinam Legis & promissionis de Christo,
certis & illustribus testimonijis à se generi humano traditā, & à nobis agni-
tam, & fide adprehensam: immensa bonitate publicum ministerium docen-
di Legem & promissionem de mediatore instituit, & omnibus temporib. in
mundo conseruauit, excitatis cōtinua serie doctōribus seu Prophetis, & mi-
nistris excellentibus, quorū voce, tota doctrina de Deo subinde repurga-
ta, & promissio euangelij illustrata, & ecclesia ampla Deo collecta est, vt ad
Ephes. 4. Paulus inquit, Filium Dei sedētem ad dextrā patris, dare dona ho-
minibus, apostolos, prophetas, euangelistas, pastores & doctores, vt ecclesia
sanctorum per ministerium docentium instauretur, & corpus Christi seu ec-
clesia, i. coetus hominum recte agnoscens & celebrans Deum, & filium ipsius
dominum nostrum Iesum Christū, & hæres vitæ æternæ, ædificetur, donec
perueniamus ad vnam adultam, plenam & perfectam fidem, quæ est agnitus
filii Dei, nec sicut pueri fluctuemus & circumagitemur omni vento doctri-
nae, per præstigias & imposturas hominum, quibus circumueniunt nos, vt
nos seducant, &c.

Primus itaque doctor Euangelij fuit ipse Filius Dei in páradiso, enar-
rans promissionem de Semine, per quam primi parentes in gratiam rece-
pti sunt. Dénide continuato ordine sibi mutuo successerunt Adam, Seth,
Enoch, Mathusalem, Noah, Sem, Abraham, Isaac, Jacob, Ioseph, Moses,
Iosua, & alij vsq; ad Samuelem. deinde Gad, Nathan, David, Salomon,
Abias, Semeias, Addo, Azarias, Anani tempore Asa Regis Iuda. postea

HELIAS & Helisaus ecclesiam in populo Israël gubernarunt vsq; ad Iohannem patrem Hieroboam, sub quo IONAS Propheta floruit: & Zacharias familiaris Oziæ regi Iuda. Huius regis Oziæ temporibus, clarissima doctrina Euangelij lumina effulserunt, primum OSIAS & AMOS, deinde ESAIAS, & post hunc MICHAEL, qui circiter 60. annos simul vixerunt, & veram de Deo, & Domino nostro Iesu Christo doctrinam, conscientibus animis, & usurpati sè ipsi verbis (vt Micheam capite, & Esaiam capite 2. plane ipsi verbis de regno Christi concionari videamus) fideliter illustrarunt, & consilijs ac voce sua, ecclesiam Dei & multa gubernationis politica negocia rexerunt: in quibus mirandi euentus & poenæ, prædictionibus Prophetarum respondentes, item liberationes mirandæ, & victoriæ, testimonia sunt, Deum verè adesse & se patefecisse prophetis, & doctrinam prophetarum veram esse. Post Micheam & Esaiam successit Ieremias. Inde Daniel, Aggæus, Zacharias, & alijs, vique ad Christum, & Apostolos, & eorum discipulos, ac successores, à quibus ad nos vsq; doctrina Euangelij propagata est. Hæc de patefactione diuina, & instituto ministerio docendi Legem & Euangelion, & de collectione ecclesiæ æternæ per ministerium Prophetarum & Apostolorum, initio in lectione Prophetarum considerari debent, vt notæ sint causæ, cur & quomodo Prophetæ, inde vsq; ab initio ecclesiæ, à Deo excitati & misse sunt.

Deinde, definitio Prophetæ & discrimen inter Prophetas & Apostolos, & gubernatores politicos, cogitur. PROPHETA in populo Israël, est Doctor immediate à Deo vocatus, vt veram de Deo doctrinam, Legem, & promissionem de Christo fideliter doceat, & taxatis erroribus, & impijs ac idolatricis cultibus Dei, veram doctrinam & veros cultus Dei illustret: & vicijs ac sceleribus Regum, Sacerdotum & populi, certas penas, certo tempore & modo secuturas, nisi poenitentiam agant, denunciat & simul regat aliqua consilia gubernationis politicae. vt Ioseph regnum Aegypti rexit. Moyses populum ex Aegypto eduxit, & politiam legibus certis constituit, Daniel Chaldaeam gubernauit. Zacharias & Aggæus summi iudiciorum reditus exulum in Iudeam ad instaurandum templum & politiam Iudaicam. Samuel & Elisæus eligunt & vngunt Reges. Esaias gubernat consilium de non dedenda Sennacheribo vrbe Ierosolyma. Hæc polius Prophetarum negocia etiæ varia & dissimilia sunt: tamen principale munus ad quod vocati sunt Prophetæ, vnum & idem est commune cum Apostolis, & omnibus ministris fidelibus, qui eandem vocem doctrinæ Legis Euangelij de Christo sonant. Prophetæ in novo Testamento, nominantur Doctores seu interpretes scripturæ Propheticæ, qui doctrinam à Prophetis & Apostolis acceptam alijs proponunt & interpretantur, 1. Corin. 14. Prophetæ duo aut tres loquantur, & cæteri dijudicent. Item, Qui Prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & adhortationem, & consolationem, id est, Doctor seu interpretes scripturæ docet ecclesiam, veram Dei agnitionem & fidem in auditorum mentibus ædificat & accedit, adhortatur ad poenitentiam & obedientiam, & consolatur. Item, Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt, id est, dogmata seu enarrationes interpretum scripturæ Propheticæ ab alijs peritioribus interpretibus exhibendi & corrigi possunt. APOSTOLVS est persona immedieata a Christo vocata & missa, vt doceat Euangelion Iesu Christi, & administraret

mitta quocunq; loco, & sit testis, Messiam patribus & prophetis promissum; iam exhibitum esse: habens testimonia miraculorum, quod non erret, & quod ipsius doctrinæ, tanquam voci Dei de cœlo sonanti, certo assentendum sit. Sciant igitur iuniores, prorsus eandem esse doctrinam Prophetarum & Apostolorum, & idem euangelion, nisi quod Prophetæ de venturo Messia concionantur: Apostoli vero testantur, Messiam, iuxta promissiones Prophetarum, exhibitum, & oblato sacrificio placante iram Dei aduersus nostra peccata, ex morte resuscitatum esse.

Ingens autem discrimen est inter prophetas & gubernatores seu Legumlatores politicos, quales fuerunt Solon, Charondas, Zaleucus, Minos, Plato. Etsi enim sententiæ aliquæ legales, de externis honestis operibus, & fugiendis sceleribus, similes in Esaia vel Michea & Platone extant: tamen de euangelio seu promissione remissionis peccatorum, & reconciliationis cum Deo propter Christum, Philosophi prorsus nihil tradunt. Est autem hæc propria & principalis Prophetarum functione, repetere & illustrare promissionem de Christo redemptore, & homines de vera agnitione, & fiducia Christi mediatoris erudire, sicut Petrus inquit, Christo omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnem, qui credit in eum. Deinde & in Legis doctrina infinitum discrimen est, nam politici Legumlatores, externa tantum scelera & morum flagitia accusant & damnant, Sed Prophetæ impias opiniones de Deo, idolatricos cultus, securitatem negligenter iram & iudicium Dei, Hypocrisim, fiduciam propriæ sapientiæ & potentiarum, trepidationem & fremitum aduersus Deum in ærumnis, & alia interiora & arcana vicia taxant, & Lege Dei non tantum externa sacrificia vel opera moralia, sed interiorem cordis obedientiam flagitari docent. Hoc discrimen Prophetarum in Ecclesia Dei, & Legumlatorum, seu Philosophorum apud gentes, sumptum à genere doctrinæ, diligenter & attente obseruandum est.

Quare de toto genere DOCTRINÆ Prophetarum, sciamus, eos Doctores legis & Euangelij de Christo esse, ut Roma. 1. dicitur: Paulus segregatus ad euangelion Dei, quod antea promisit Deus per Prophetas, in scripturis sanctis, de Filio suo, qui natus est ex semine David secundum carnem, & certo cognitus est Filius Deus, eo quod resurrexit à mortuis. Acto. 10. Christo omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnem, qui credit in eum. Luca 24. Christus ex Moysi & Prophetis testimonia de sua passione & resurrectione exponit. 1. Pet. 1. Referentes finem fidei vestræ salutem animarum, de qua inquisuerunt & scrutati sunt prophetæ. 2. Petri 1. Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui recte facitis attentes tanquam lychno lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris: hoc primum scientes, quod omnis prophética scriptura non sit priuatæ interpretationis. Non enim voluntate hominis allata est unquam prophetia: sed à spiritu sancto impulsæ, locuti sunt sancti Dei homines. 2. Timoth. 3. Omnis scriptura diuinus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iusticia, ut perfectus sit Dei homo ad omne bonum opus paratus. Ut igitur Christus mittens Apostolos iubet prædicare

pœni-

pœnitentiam, & remissionem peccatorum in nomine suo, & docere audatores seruare eius mandata: et Paulus in Epistola ad Romanos initio reuelat iram Dei aduersus omnem impietatem, & iniusticiam hominum, qui veritatem in iniusticia detinent; deinde iusticiam Dei in euangelio patet. Etiam de gratuita remissione peccatorum propter Christum; & de nova obedientia piorum, & cruce ac consolationibus ecclesiæ, attextit: In Oseas, Esaias, Micheas, & cæteri Prophetæ, initio grauissimas accusaciones peccatorum cum omnibus præceptis Legis Dei, & præcipue cum prima Tabula pugnantium, & certas prædictiones horribilium pœnarum ponunt: quibus ad pœnitentiam serio agendam homines impellere tendunt. Deinde promissionem de Christo, & persona, officio, ac beneficijs Regni Messiae repetunt & illustrant, & remitti peccata, & pœnas mali gari agentibus pœnitentiam affirmant. Tertiò addunt præcepta de bonis operibus, seu veris cultibus Dei, qui sunt opera, expresso verbo Dei mandata, quæ fiunt prælucente vero timore Dei & fidei, propter hunc nem, ut Deus honore afficiatur.

Sic MICHAEL caput 1. 2. & 3. est concio LEGIS arguens peccatum Regni Israël & Iuda, & præcipue Idolatriam, tyrannidem & auariciam populi, Principum, & Sacerdotum, & prædicens horrendas poenas &damnationem ciuitatum & totius regni Israël & Iudæ, quæ per Assyrios tempore regis Ezechiae facta est. Ac citatur hæc pars concionum Micheæ, Jerem. v. ubi simul de illarum viu & fructu docet. Ezechiam & alios, comminationibus Micheæ motos, pœnitentiam egisse, & ardentि precatione mitigantem pœnarum imminentium à Deo petiuisse & impetrasse. Altera pars concionum Micheæ, cap. 4. & 5. & in fine 2. & 7. capit. est EVANGELIUM, seu doctrina de persona, officio, beneficijs & regno Christi. Qua in parte in primis eminet sententia non modò personam & officium, verum etiam locum nascentis Christi definiens: quam Matthæus cap. 2. citat: Et tu Iudeah, Ephrata, parum est ut sis in millibus Iuda. Ex te enim egreditur Dux Israël, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Propræcepta dicit eos usque ad tempus, quo parturiens pariet, & reliquiæ fratrum contentur ad eos. Et stabit, & pascat in fortitudine Domini, & erit pax. DE JUSTIFICATIONE, quæ est remissio peccatorum ex misericordia dei propter Semen Abrahæ promissum donata, perspicue concionatur cap. 7. Pessundabit iniquitates nostras, & projicit in profundum maris mnia peccata nostra. Dabis veritatem Iacob, & Abrahæ misericordiam, quam iurasti patribus nostris à diebus antiquis. DE ECCLESIA pro Christum ex Iudeis & gentibus colligenda, cap. 4. Confluent ad eum populi. Ibunt ad eum gentes multæ, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos de vijs suis, & inimus in semitis eius. Quia de Zion egreditur Lex & verbum Domini deus Iherusalem. Cap. 2. Congregabo uniuersam domum Israël, tanquam gemma in uno ouili conclusum. Ascendet ante eos perruptor: et Rex eorum præbibit eis, & DOMINVS erit Dux eorum. Cap. 5. Prædicti hostes ecclesiæ aut conuersum aut euersum iri. DE VERIS CULTIBVS Dei, inquisitio nis sententia est, cap. 6. Indicauit tibi Dominus o homo, quid sit bonum, & quid à te postulet, nempe ut facias iudicium, & ames iusticiam, & ut sollicitè ambules coram Deo tuo. DE VERA CONSOLATIONE in crux & calamitatibus, dulcissima & ad leniendum dolorem efficacissima est sententia

tentia cap. 7. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini porrabo, quia peccavi ei, donec iudicauerit causam meam, feceritq; iudicium meum. Educet enim me in lucem, & cum gaudio videbo iusticiam eius. Hi sunt præcipui s & x loci & sententiae concionum Micheæ, Quarum consideratione, *Fidem nostram*, de his doctrinæ articulis, confirmemus, & nos ad timorem Dei, & pœnitentiam serio agendum, ad veram inuocationem, & Fiduciam remissionis peccatorum, & præsentie ac auxiliij diuini, & patientiam in omnibus ærumnis & doloribus nostris, exuscitemus. Et si enim Micheas ante annos 2330. in regno Iudaico vixit, tamen ut eadem hominum natura, eadem peccata & scelera, & pœna etiam eadem, in mundo manent, ita Micheæ conciones verè etiam ad nostra tempora & ad nos singulos pertinent, vt Paulus dicit, Pœnas, quæ Israëlitis acciderunt, fuisse typos & exempla pœnarum, quæ omnes similibus peccatis pollutos obruerint: & scriptas esse, vt nos de ira Dci aduersus illa peccata admoneant, & Roman. 15. dicitur, Quæcunq; præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Reliqua, quæad argumentum Micheæ explicandum pertinent, paucis post in Titulo Prophetæ exponemus.

Vtilissima autem ratio enarrandi Prophetas est: primū referre præciplias conciones & historias Prophétatum ad duo hæc summa capita, Legem & Euangeliū, seu ad locos communes, qui doctrinæ Christianæ summam & corpus constituunt: & hos iuxta Dialeticæ præcepta, adhibitis definitionibus, diuisionibus, & vsu eorum in quotidianis exercitijs pœnitentia, inuocationis & piæ obedientiæ erga Deum monstrato, explicare. deinde, Ordinem rerum, seu dispositionem præcipiorum orationis membrorum rudioribus ostendere. Tertiò, Grammatice explicare nativam & simplicem orationis sententiam: & significationes verborum, phrases, ac figuræ Prophetarum, ex collatione textuum noui testamenti præcipue, & fontibus linguarum & artium dicendi, recte & perspicue illustrare:

TITVLVS MICHEÆ.

Verbum Domini, quod factum est ad MICHAM
Morashiten, in diebus IOTHAM, AHAS & IES-
HISKIA Regum Iuda: Quod vidit super SAMARI-
AM & IERUSALEM:

Titulus autorem & argumentum libri, & patriam, ac tempus Ministerij Prophetæ, indicat: vt sciamus Deo autore Prophetiam Micheæ editam esse, & doctrinam veram & immotam & à Deo ipso traditam in hoc libro proponi, & doctrinæ Micheæ, non secus ac voci ipsius Dei de cœlo sonanti, credendum esse. Vult enim Deus, non priuato consilio, & sine legitima vocatione, aut sine certis autoribus spargi in ecclesijs dogmata aut libros, Vult item discerni vocationes seu Doctores. Ideo ipse immedietè vocat Prophetas & Apostolos, & addit eis testimonia miraculorum, quod non errent: vt cæteri doctores, doctrinam certam & immotam ab illis accipiunt & propagant, qua ecclasiæ Dei ædificant. Ephes. 2. Extructi estis super fundamētum Prophetarum & Apostolorum. Est igitur argumentum huius

huius libri, Verbum Domini, seu doctrina Legis & Euangelij à Deo trita: & in primis concio Legis de vastatione Regni Samariae & Iudeæ, facta per Salmanassar & Sennacherib reges Assyriorum: cuius historiam 4. Reg.

15. 16. 17. 19. studiosi legant.

Patria Micheæ est MARESA vel MORESA, communis cum propheta Eliezer, qui regem Iosaphat ob foedus cum Ochozia factum arguit. 2. Paral. 20. Fuit autem celebre oppidum MARESA, in finibus tribuum Iudeæ & Dan (Iosuæ 15.) quod muro primum cinctum Roboam filius Salomonis (2. Paral. 11.) deinde Aza 10000 Aethiopum prope illud profuguit (2. Paral. 14.) In idem oppidum fugit Gorgias prælio vietus à Iuda Machabæo, 2. Macha. 12. Significat autem MARESA hæreditatem seu possessionem, à verbo IaraS, hæres factus est, possedit, occupauit. Ad hanc Etymologiam nominis alludit in fine primi capituli Micheas cum inquit, Hæreditatem adducam tibi habitatrix Maresa, videlicet hostem Assyrium, qui te hæreditabit seu occupabit.

TEMPS, quo Micheas in ministerio docendi vixit, sunt anni circiter 60. quibus Ioatham annis 16. Achas 16. & Ezechias annis 29. in Iudea regnauit. Quo ipso tempore etiam Oseas & Esaias Prophetæ floruerunt. Plurimum igitur lucis lectioni Micheæ & reliquorum Prophetarum cognoscere accedit, si res gestas illorum regum & totam illius temporis ecclesiæ reipub. in regno Israël & Iudea historiam diligenter cognitam habuerimus. Hortor igitur auditores, ut quartum librum Regum, & secundum Paralipomenon, diligenter & attentè perlegant: & in primis 4. Regum 17. cap. in quo euersionis Samariae, & ingentium illarum calamitatum causa præpua copiosè exponitur & illustratur.

Series Regum, & rerum præcipuarū in adiuncta tabella aspici posse.

TABELLA,
MONSTRANS SERIEM
TEMPORVM, QVIBVS PROPH
TAE, IONAS, OSEAS, AMOS, ESAIAS, MI
CHEAS, NAHVM, ET CAETERI, IN POPVLO
Israël concionari cooperunt,

A.
DAVIDE REGE VSQVE AD
excidium Hierosolymæ deducta.

Anno mundi	REGES IVDA.	PROPHETAE.
2890.	DAVID, Rex & Propheta populi Dei, coepit anno post mortem Moses ferè 400. ante Christum natum 1070.	GAD, 1. Reg. 22. 1. Paral. Nathan, 2. Reg. 7. 12. Asaph, 1. Paral. 16. 25. Psal. 71. Heman.
2930.	SALOMON Rex & Doctor ecclesiæ sapientissimus, 3. Reg. 1. 2. 4. &c.	IDITHUM, 1. Paral. 25. Ahias Silonites. 3. Reg. 11. 13. ROBO-

Anno mundi 2970.	REGES IUDÆA.		PROPHETAE.	
	Roboam, 3. Reg. 12. 14. 2. Paral. 10. II. 12.			
2987.	ABIA, 3. Reg. 15. 2. Paral. 13.		Semeias, 3. Reg. 12. Addo, 2. Paral. 9. 12. 13.	
2990.	ASA, 3. Reg. 15.		Azarias, 2. Paral. 15. Hicu, 3. Reg. 16. Anani, 2. Paral. 16.	
3031.	IOSAPHAT, Rex pius, sapiens, iustus & felix, 2. Paral. 17. 18. 19. 20. 3. Reg. 15. 22. 4. Reg. 3. 8.		ELIAS currus & auriga Israël, Dux & Gubernator ecclesiae Dei præcipuus. Iazihel, 2. Paral. 20. Iehu, 2. Paral. 10. Eliezer, 2. Paral. 20.	
3056.	IORAM, 2. Paral. 21. 22.		ELI-	
3064.	Ochozias, 2. Paral. 22.		SAE-	
3065.	Athalia, 2. Paral. 22. 23.		V S, 4. Reg. 2. 4. 5. 6. 13. &c.	
3072.	IOAS, 4. Reg. 12. 2. Paral. 23. 24.		REGES ASSYRII.	
3112.	AMASIAS, 4. Reg. 14. 2. Paral. 25.		S A R D A -	
3141.	OZIAS, qui & A- zarias, annis 52. 4. Reg. 15. 2. Paral. 26. Amos 1. Ose. 1. Esa. 1.	HIEROBOAM filius Ioas, Rex impius, sed fortunatus & florens, Qui repressis Sy- ris, veteres regni fines, vsq; ad Da- mascum recupe- rauit, iuxta ser- monem Domini, quem locutus est per Ionā prophe- tam. 4. Reg. 14. Amos 1. Ose. 1.	IONAS filius Am- mathi de Geth- Opher in tri- bu Zebulon, tempore regis Hieroboam vi- xit, 4. Reg. 14. Docuit in vr- be Ninive, Ionae 3. 4. Zacharias, fami- liaris Oziæ, 2. Paral. 26.	N A P A - L V S. Quo inter- fecto (anno 10. Oziæ re- gis Iuda) PHVL Belo- chos, rex Assyriæ & Babyloniae fuit, annis 48. Hunc re- gem Ninive conuer- tit Ionas Propheta, Ion. 3.
3168.	Terræmotus circa hæc tempora factus est (Zach. 14. Amos 1.) qui imminentes mutationes & interitum re- gni Israël prænunciauit. Nam Hieroboam mortuo, intestinis dissensio- nib. & mutuis lanienis inter se prin- cipes regni graffati sunt. Zacharias sex menses, 4. Reg. 15. Sellum 1. men- sem. Menahen 10. annis, tributum dedit Phul Belocho regi Assyriorū, 4. Reg. 15. Phaceia 2. annis.	EZEIAS Pro- pheta & σύγ- χεος ipsi Am- mos, duobus annis ante ter- ræmotū: annis 65. antè (Esa. 7.) excidium regno Israël & Iuda denū- ciarunt.	E S A I A S Pro- pheta concio- nari incipit: B b qui an-	

ANNO MUNDI	REGES IUDA.	PROPHETAS.
3193.	PHACEE, filius Romeliae; 20. annis. 4. Reg. 15. 16. Iuda, 16. annis, 4. Reg. 15.	qui annos cir- citer 80. docuit.
3209.	ACHAS, rex Iuda 16. annis, Hypocrita, impius & infelix, 4. Reg. 16. 2. Paral. 28. Ose. 1. Esa. 1. 7. Mich. 1. Instituit cultum Baal in urbe Hierosolyma. Immolauit filium idolo Moloch. Coluit Idola Syriae, clausit templum Domini: & in omnibus angulis Idolorum cultus instituit: propter quos Deus, toti regno Iudea grauissime irascitur.	TIGLAT PHULASSAR Galæam valle & multo- ues regni- raël in Afri- riam tra- fert, 4. 15. gum 15.
3225.	OSEAS vltimus rex Israël.	Esaias, Miche- as, Oseas, Amos vna vixerunt.

Mich. 1.
Ponam Samariam quasi aceruum lapidum in agro & detrahiam in vallem lapides eius, & funditus eam cuertam.

SALMANDER
SAR. 10. 4.
Reg. 17. 18.
Jerem. 26. Mi- cheas de Morasthi propheta in diebus Ezechiæ re- gis Iuda, ait ad omnē po-

ANNO MUNDI	REGES IUDA.	PROPHETAE.
3338.	Vrbs IEROSOLYMA exercitu Sennaheribi regis Assyriorum cincta, mirabiliter defenditur, trucidatis per Angelum 185000. Assyriorum. 4. Reg. 18. 19. Esa. 36. 37. 2. Paral. 32. <i>Ezechia ægrotante, Sol regreditur.</i> Esa. 38. 4. Reg. 20.	pulum : Sion quasi ager arabitur, & Hierusalé in aceruum lapidum erit, &c. NAHUM Propheta, vrbi Niniue, & regi ac regno Assyrio, excidium denunciat, annis 100. post Ionam, cum Esaias iam ferè 70. annos in ministerio versatus, suis consilijs & precibus Sennaheribum à Ierosolymis depelleret.
3254.	MANASSESH rex Iuda, 55. annis, 2. Paral. 33. 4. Reg. 21.	HABACUC exilium populi, per Chaldeos abducendi, & excidium regis & regni Chaldaeorum prædictum.
3309. 3311.	IOSIAS Rexpius & sanctus 31. annis. 4. Reg. 22. 23. 2. Paral. 34. 35.	SOPHONIAS. NABOGDONOSOR primus cum Iosia incipit, annis 35.
3324.	Ioachas tribus mensibus.	IEREMIAS concionari incipit anno 13. Iosiae.
3342.	IOACHIM, 11. annis, 1, Re. 23. 24.	Neco, Aegypti rex, interfecit Iosiam in Mageddo, 2. Paral. 35.
3344.	DANIEL in Babylonem abducens.	Nabogdonosor magnus, annis 43.
3353.	IECHONIAS sponte in Babyloniam migrat, Ier. 24. 29.	3358. EZECIEL in Babylonie concionari incipit, anno 5. Sedechiae.
3353.	SEDECHIAS, ultimus rex Iuda, 4. Reg. 25. 2. Par. 36.	Bb 2 IEROSO-

Anno mundi 3364.	I E R O S O L Y M A à Nabogdonosor capta, & Iudei in B A B Y L O N I C A M C A P T I V I T A T E M abducti.
3433.	Vaticinium de C H R I S T O post L X X . Hebdomadas exhibendo,
3434.	D A N I E L I reuelatum. Dan. 9.
3434.	Reditus Iudeorum ex Babylone, sub Cyro, annis 528. ante Christum natum.
3444.	J A G G A E V S & Z A C H A R I A S Prophetæ, M A L A C H I A S vltimus.

Quod vidit super Samariam & Hierusalem.

S A M A R I A primum condita est in monte tribus Manasse, cis Iordanem, ab Amri rege Israël, patre Achab, circa annum mundi 3023. & Metropolis ac sedes regum Israël facta est, 3. Reg. 16. cum priores reges, in oppidis Sichem & Thersa præcipue habitassent. Distat à Hierosolymis circiter 9. aut 10. miliaria germanica versus septentrionem. et latine significat Acrem seu custodiā à ὑπερβολῃ custodiuit. Primum autem cultus Idolatrici Baal in ea vrbe instituti sunt à rege Achab, 3. Regum 16. Inde cum in reliquum regnum emanarent, paulo post Micheas inquit, Samariam toti Iacobis toti populo à Iacob orto, causam sceleris præbuuisse. Euersa est igitur propter hanc Idolatriam & alia scelera, & accruus lapidum facta est, per Salmanassar regem Assyriorum anno sexto Ezechiae regis Iuda, cum solam 200. annos stetisset, anno ante excidium Hierosolymæ 133.

H I E R U S A L E M , metropolis tribus Benjamin & totius regni & ecclesiæ Iudaicæ à Davide facta est, qui eam anno septimo regni sui primum cepit, cum à Iebusæis usq; ad illud tempus retenta esset, 2. Reg. 5. Tempore Abrahæ Salem & Solymæ nomen habuit, & sedes fuit regni & Sacerdotij Melchisedech, Gen. 14. postea ab incolis Iebusæis, Iebus appellata est, Ios. 18. Iud. 19. David Hierosolymam nominavit, id est, doctrinam pacis à Iarab docuit, & Salom pax. Extitit enim sedes veræ ecclesiæ & doctrinae Deo, à Davide rege usq; ad postremum excidium annos amplius 1000. Fuit autem tota vrbs vndiquaque circundata montibus, vt Psalm. 124. citur, Montes in circuitu Hierusalem, & Dominus in circuitu populi sui. Et in ipsa vrbe duo montes editiores fuerunt. alter mons S i o n , in extremitate partis versus meridiem, arx & habitatio Davidis. alter in media vrbis mons M O R I A , sedes Templi Salomonis. Ideo mons Domus Domini Michea cap. 4. & Esa. 2. nominatur. Et uterque mons, S i o n , & Domus Domini, passim in Prophetis, typus est regni Christi seu totius ecclesiæ. Primus autem in vrbe Hierosolyma Idolorum cultus instituit, & excidii seu aras ædificauit Salomon ἀναστάντες και σοφες σοφωτες, 3. Reg. 11. Hunc deinceps impij successores, Roboam, & Abia, 3. Regum 14. 15. & Ioram gener Achab, auxerunt. donec tandem Achaz, cuius in titulo Michaelis mentio fit, & statuas Baal passim in vrbe Hierosolyma erexit, & proprium solum suum Idolo Moloch cremauit, & clauso templo Domini, passim omnibus excelsis Sacrificia obtulit. Alij, ritus quidem sacrificiorum cultus à Moysè ordinatos retinebant, sed falsas opiniones addebat, quod suis sacrificijs mererentur remissionem peccatorum, & Deum placarent, colerent opere operato, etiam si corda eorum essent sine vero timore Dei, & sine fide ac obedientia morali. Hanc impian persuasionem taxant Propheta;

phetae; Ierem. 7. Ose. 6. &c alibi. Ideo & Micheas in hoc concionum suarum argumento, SAMARIAM & HIEROSOLYMAN, in qua tamen ministerium ecclesiæ publicum, & cultus externi per Ezechiam instaurati erant, coniungit, ut doceat, Deum pariter odisse & punire peccata in utrisque, & ijs, qui titulum ecclesiæ habent, & se euangelicos iactitant, & alijs palam idolatris: & iudicium à domo Dei incipere. Hactenus Prophetæ Titulus vtcunq; illustratus est. Sequitur

Caput primum.

Vdite populi omnes, & attendat terra, & quicquid est in ea. Nam Dominus DOMINVS vobis concionabitur, Dominus de Templo sancto suo. Quia ecce DOMINVS egreditur de loco suo, & descendet & calcabit super excelsa terræ: Et consumetur montes subitus eum, & valles scindentur sicut cæra à facie ignis, sicut aquæ quæ decurrunt in præceps. Propter scelus Iacob omne istud (fiet) & propter peccata domus Israël. Quod scelus Jacob, nonne Samaria? Et quæ excelsa Iudæ, nonne Ierusalem? Et ponam Samariam quasi aceruum campi, in quo plantatur vinea, & detrahim in vallem lapides eius & fundamenta eius reuelabo. Et omnia sculptilia eius concidentur, & omnia donaria eius comburentur igne. Et omnia Idola eius perdam, Quia de donis [†] meretricis congregata sunt; & ad bona [‡] meretricis reuertentur. [§] Propter hoc plangam & vulnabo, vadim spoliatus & nudus. Edam planetum ut Dracones, & luctum ut pulli Struthionum. Quia desperata est plaga eius. [¶] Quia venit (plaga eius) ad Iudam, peruenit ad portam populi mei ad Ierusalem. In GATH ne annuncietis, fletu ne fleatis. In Beth APHAR (domo pulueris) puluere inuolue te. Transi vobis habitatrix (ciuitas) SAPHIR confusa ignominia. Non egressa est habitatrix ZANAN præ luctu. Domus AZEL auferet ex vobis stationem suam. Quia infirmata est propter bonum (amissum) habitatrix (ciuitas) MAROTH. Alliga currum ad equos velocissimos habitatrix (ciuitas) LAEHIS. Principium peccati (est) illa filiae SION. Quia in

EXORDIVM
excitans le-
tores ad at-
tentioñem.

PROPOSI-
TIO figurata.
De' vastabit
Regnum Sa-
marie & Iu-
da per Assy-
rios.

RATIO seu
causa vasta-
tionis.

PROPOSI-
TIONEM
verbis pro-
prijs.

Populi Is-
raël scortan-
tis cum Ido-
lis deserto
vero sponsa
Deo.

Assyriorū
Idolatrarum.
Amplificat
Propositionē
à consequen-
ti luctu.

Amplifi-
catio propo-
sitionis per
distributio-
nem seu enu-
merationem
ciuitatum,
quas in re-
gno Iuda AC-
lyrij vasta-
bunt.

te inuentæ sunt præuaricationes Israël. Propterea dabis legatos ad hæreditatem GATH Domus. ACHZIB (mendacij) mentientur regibus Israël. Adhuc hæredem adducam tibi habitatrix (ciuitas) MARESA. Ad ADVULLAM vobis veniet gloria Israëlis. Decaluare & tondere propter filios tuos dilectos: dilata caluitum tuum sicut aquila, quoniam transmigrarunt à te.

LOCI PRÆCIPVI IN PRIMO CAPITE OBSERVANDI.

I. Principalis Doctrina de vero TIMORE DEI seu POENITENTIA scilicet agenda: pertinens ad primum præceptum Decalogi. Ego sum Dominus Deus tuus fortis Zelotes, VISITANS INIQUITATEM.

II. De IDOLOLATRIA, & discrimine veræ & falsæ religionis, seu rerum ac impiorum cultuum Dei.

III. De principali causa mutationis & euersionis ciuitatum & Regnum.

TIMOR DEI seu POENITENTIA vera, est serio expuens agnitione iræ Dei aduersus nostra peccata, & dolere quod Deum offendimus, & filiali metu iræ ac iudicij diuini vitare delicta, & se reuerenter voluntati Dei subiçere, & prælucente vera in Christum Fide omnia vitæ consilia & actiones regere, ut cum voluntate & verbo Dei congruant. Vnde autem maxima pars generis humani in perpetua securitate, negligenter iram & iudicium diuinum, sine ullo timore Dei, sine poenitentia vera, sine fide & dilectione Dei: & velut graui sopore & veterno oppressa & demersa in Fordidas huius vitæ terrenæ curas, nunquam se ad ullam seriam de Deo vel ira aut misericordia diuina cogitationem erigere potest. Quare hunc veternum nobis excusat Deus, & verum ac serium timorem Dei poenitentiam in cordibus nostris exuscitet: non modo voce legis terribus fulmina iræ suæ & poenarum comminantis, per Prophetas & alios fiducie verbi sui ministros, verum etiam horribilibus calamitatibus, pestilentia, bellis, & excidijs urbium, Sodomæ, Samariæ, Ierosolymæ, Troiæ, Romæ, & totarum gentium ac regnum Israël & Iuda deletionibus, de poenitentia nobis concionatur. sicut hoc tempore, bello, caritate annonæ, lue contagiosa, in conspectu penè nostro, in Dania & Suecia & Liuonia similes grassante, nobis in hac urbe, & toti viciniæ, iram suam aduersus nostram iam peccata denunciat, & gladium aduersus nostra quoque delicta vibrat, & iam iam ceruicibus nostris imminentem ostendit. Quare & frequentissimarum urbium ac Regnum Samariæ & Ierosolymæ euersio, quam Micheas in hoc primo capite, & cæteri Prophetæ, Oseas in primis & Esaias, ac Ieremias passim prædicunt, & obuersante oculis nostris vicinarum regionum Scaniæ, Gothiæ & Liuoniae, quæ & ecclesiæ Dei sociæ, & varijs commercijs nobis coniunctæ sunt, vastatione horribili, nos ad rem timorem Dei & mitigationem poenarum poenitentia seria impetrando exuscitare studeamus. sicut Ieremias cap. 36. iubet scribi comminationes poenarum, vt audiente domo Iuda reuertatur unusquisque à via sua

peccati

pessima, & propicius sit Deus iniquitati & peccato eorum. & Thren. 3. Humiliavit nos Dominus, & abiecit nos, ut reuertamur ad Dominum in cœlis. & omnium Prophetarum, & calamitatum humanarum, hoc ferè commune argumentum est, AGITE POENITENTIAM, ad quam singulos excitare debet. 1. Mandatum Dei seuerissimum toties inde vique ab initio generis humani repetitum. 2. Iuramentum Dei sanctissimum, Vnuo ego nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & viuat. O' beatos, quorum causa iurat Deus. O' miserrimos, si ne quidem iuranti Domino credimus. 3. Ut ab ira Dei & peccatis, quæ etiam in sanctis varia & multiplicia harent, liberemur. 4. Aeterna salus. Lucæ 13. Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. 5. Ut mitigationem poenarum & calamitatum huius vitæ impetremus, 1. Corinth. 11. Si nos ipsi iudicaremus, non iudicaremus à Domino.

*De idololatria, & discrimine verae & falsæ, seu castæ
& meretricie Religionis.*

Vera RELIGIO & verus cultus Dei, est vnum verum Deum, patefactum in ecclesia certo verbo per Prophetas tradito, recte agnoscere & inuocare, & in Christum credere, ac omnibus mandatis Dei in nostra vocatione obedire, & vitare delicta, quæ prohibuit, propter hunc finem, ut Deus honore & gloria afficiatur. IDOLOLATRIA seu falsa Religio, quam toties Prophetæ arguunt, est discedente à verbo Dei, quod vna & sola fidei ac religionis nostræ norma est, proprio consilio & arbitrio, eligere & instituere ceremonias, Sacrificia, vel alia opera, non mandata verbo Dei, quibus etiam verum Deum coli aut nobis propicium reddi fingamus: vel nouos & commentitios Deos & falsa numina, ut Palladem, Phœbum, Baal, Moloch, comminisci & colere: vel honorem soli vero Deo creatori debitum tribuere cuicunque rei, quæ non est Deus: vel alligare verum Deum ad statuas vel alias res, ad quas se non alligauit suo verbo. Hæc impietas seu idololatria visitatissime in Prophetis confertur fornicationi seu adulterio, Ezech. 16. Ose. 1. Ierem. 2. & 3. & alibi. Ut enim sponsa seu vxor, vni soli sponso vel marito, amorem & fidem debitam præstare, & corpus suum castum & sanctum seruare debet: cum vero deferto marito alijs se prostituit, fit meretricia seu adultera: Sic populus Israël & tota ecclesia Deo, tanquam sponso & marito, copulata & iuncta est, ut vnum solum verum Deum agnoscat, inuocet, amet & colat, sicut se in suo verbo agnoscit & coli præcipit. Cum igitur desciscit à Fide soli Deo debita, & amorē ac cultus soli vero Deo debitos tribuit Idolis: vel alienam doctrinam & cultus, non mandatos verbo Dei, sequitur, tum fit adultera seu meretricia idolatria. Ideo Micheas in primo capite populum Israël, reliquo verbo Dei & cultibus à Deo mandatis, colentem Idola (quæ, quo tempore, & à quibus, Samariæ & Ierosolymæ primum instituta sint, in explicatione tituli monui) & elgentem opera ac cultus Dei proprio arbitrio, nominat meretricem. Et aurea ac argentea idola & statuas ac ornamenta templorum idolatricorum, ab idolatris donata, nominat mercedes seu donaria meretricis, eaq; ab alijs meretricibus, seu alijs idolatris impijs, videlicet Assyrijs, ablatum iri prædictis.

DE CAUSIS MVTATIONIS & euersionis ciuitatum & Regno-

B b 4

rum,

rum, multa sapienter disputat Aristoteles in 5. Politicorum, & *λόγιον στοιχείων*, ex quibus mutationes vel interitus Rerum publicarum sequuntur, inquit esse αναστάτως, μόνον τὸ μόνυμον εἶναι, τὸ κατ' ἀρχὰς τὸν οὐκέτην τὰ αὐτῶν. Hæc etiā sapienter dicuntur, tamen superiorem & principalem causam excidii ciuitatum & regnum, soli Prophetæ indicant, videlicet idolatriam seu impietatem, relictio cultu veri Dei in verbo Dei mandato colentem idola, & impios ac verbo Dei non præceptos vel prohibitos cultus eligentem. ut de excidio Ierosolymæ Ieremias cap. 22. 32. 35. & alibi inquit: Quare fecit Dominus sic ciuitati huic grandi? eò quod dereliquerunt pactum Domini Dei sui, & adorauerunt Deos alienos. Ita hic Samariam euersum in, & totum regnum Iuda vastandum esse præcipue propter cultus idolatriæ. Micheas prædictis. Altera causa principalis, in II. & III. capite illustratur, videlicet iniustitia & Tyrannis gubernatorum, & omnis generis peccata & flagitia, in principibus, Sacerdotibus & populo. Est enim ordo iniusticiæ diuinæ æternus & immutabilis, vt imperia, regna, ciuitates & priuatum singuli homines, vel obtemperent Domino Deo conditori suo, vel non obtemperantes & flagitijs ac sceleribus se polluentes, præsentibus & aternis poenis destruantur & euertantur, vt in primo præcepto dicitur, Ego sum Dominus Deus tuus zelotes, visitans iniquitatem. Esa. 24. Luxit & deflexit terra, quia transgressi sunt Legem. Propter hoc maledictio deuorabit terram, quia peccauerunt habitatores eius. Esa. 41. Quis dedit in direptionem Iacob, Nónne Dominus cui peccauimus? & noluerunt in vijs eis ambulare, & non audierunt Legem eius, & effudit super eos indignationem furoris sui. Esa. 64. Iniquitates nostræ sicut venti dissipauerunt nos. Hæc dicta de causis ingentium calamitatum publicarum considerare prodet, & eorum cogitatione nos ad verum timorem Dei & poenitentiam serio agendum & auersionem vel mitigationem imminentium poenarum castis preibus impetrandam, exuscitemus. Hactenus de locis doctrinæ. Sequitur dispositio & Grammatica explicatio Textus.

E X O R D I V M. *Audite populi omnes, & attendat terra, & quicquid est in ea, nam Dominus D O M I N V S vobis in testem erit: Dominus de templo sancto suo.* Exordium continet locum Attentionis, quasi dicitur. Non meam doctrinam propono, sed à vero Deo, qui se in populo Israëli templo sancto suo certis & illustribus testimonij patefecit, & doctrinam uultus sibi placentes monstrauit, vocatus & missus sum, & Dei voluntates & mandata vobis declaro. Vult autem Deus exaudiri doctrinam suam, & quidem attente & diligenter audiri à toto genere humano. Ideo inquit, Audite populi omnes & attendat terra, & plenitudo eius. Psalm. 18. In omnem terram exiuit sonus eorum. Luc. 10. Qui vos audit, me audit. Erit Dominus vobis in testem, Deus vobis concionabitur, Deus suam voluntatem & doctrinam vobis per me exponet. Visitatissime enim in prophetis Apostolis, Testimonium significat doctrinam: Testis, doctorem seu præcatorem: & testificari, idem quod prædicare. Esa. 55. Ecce testem populi dedi eum, ducem & præceptorem gentibus. Iohann. 15. Ille de me testificabitur: & vos testificabimini. Esa. 8. Ad legem & ad testimonium. Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. 2. Corinth. 2. Annuncio vobis testimonium Dei.

P R O P O S I T I O. *Quia ecce DOMINVS egredietur de loco suo, & descendet & calcabit super excelsa terræ: & consumetur montes subitus cum, & valles scis-*

les scindentur sicut cera à facie ignis, sicut aqua, quæ decurrunt in preceps. *Propositio* primi capituli. Deus vastabit regnum Samariae & Iudea per Assyrios. Illustrata est autem & ornata *Propositio*, insignibus figuris, *Protopopaea*, *Metaphoris*, & *Similitudinibus*. Non enim egreditur aut descendit Deus ex uno loco in alium re ipsa seu substantia: *πατὴν γὰρ ἐστὶ πάτερ νόος βλέπε θεός*. Enter præsenter Deus est & vbiq; potenter. Sed cum instar hominis absentis ante perinde se gesserit, ac si non videret Israëlitarum impietatem, nunc definit dissimulare peccatum, & horribili vastatione ostendit se præsentem esse, & impietati Israëlitarum irasci & horribiliter eam vlcisci & punire. Lento enim gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, & tarditatem supplicij grauitate compensat. Deinde iniugnes Metaphoræ sunt, *Calcabit*, quasi dicat, conteret planè & in nihilum rediget *excelsa terræ*, non tantum altaria, verum etiam superbos & impios Reges, Sacerdotes, Principes, & quicquid omnino opinione sanctitatis, potentiae, opum, sapientiae, inflatum est: ut Christus inquit, Abominatio est cora Deo, quicquid est sublime in mundo. Item, *φίλε οὐδὲν πάτερ τὰ τέρατα κολαύσῃ*. Idem sequens metaphoræ indicat, Montes liquefient sub eo. Vallibus humilem & abiectam plebem significari existimo, quæ simul ab hostiis conculcabitur. vel Synecdoche est, qua continens pro contento sumitur. Montes & valles, pro omnibus hominibus, qui in montibus & vallibus Iudeæ habitant. Duæ similitudines, à cæro, & aquis per præcipitum ruentibus, significant vastationem & *παραλησθεῖσαν* ingruentem, nulla ratione auerti aut impediri posse. Nam ira Dei dignis consumens est. Vindicibus flammis sibi qui contraria delet, Ipseque iustitiae regula sola manet.

RATIO. Propter scelus Jacob omne istud fiet, & propter peccata domus Israël. Ratio propositionis seu causa principalis, propter quam regnum Samariae & Iudea funditus cueretur, sunt peccata & scelerata populi Israël, & præcipue idolatria, quæ est proprio consilio & temeritate sine certo Dei verbo, vel nouos & commentarios Deos, & idola, comminisci & colere: vel honorem soli vero Deo debitum tribuere cuicunque rei, quæ non est Deus: vel alligare Deum ad aliquam rem, ad quam se ipse non alligauit suo verbo: vel eligere & instituere cultus sine verbo ac mandato Dei, & confidere his cultibus, quod propter eos Deus nobis propicius sit ac beneficiat. Conferant autem studiosi ad hanc breuem Micheæ sententiam illustrandam, caput XVII. quarti libri Regum, in quo tantarum calamitatum cause prolixa concione exponuntur. Factum est enim cum peccassent filii Israël Domino Deo suo, qui eduxerat eos de terra Aegypti, coluerunt Deos alienos, &c. Sic σφῆσιν ἀταθαλίσσουν πέρι μόρον ἄλγες ἔχουσι. Pueri Metalepses obseruent, quibus nomen effectus pro causa, & rursum causa pro effectu sumitur. *Quod est scelus Jacob?* Quis causam impietatis & idolatriæ populo Jacob præbuit? An non Samaria? in qua sedes impiorum Regum, & Collegium Sacerdotum Baal, ab Achab institutum, & alia sclera viuerunt. Inde in vulgus manarunt exempla regentum. Paulò antè, causam pro effectu, Jacob & Israël, pro toto populo ex Jacob orto & propagato, posuit. Visitatum est enim in scriptura Gentes appellare nominibus stirpium, à quibus ortæ sunt.

REPETITIO PROPOSITIONIS. Et ponam Samariam quasi aceruum campi, in quo plantatur vinea, & detrahant in vallem lapides eius, & fundamenta eius reuelabo. Repetit PROPOSITIONEM verbis proprijs;

prijs, quam antea figuris inuoluerat. Redigam Samariam in aceruum lapidem & ex monte, in quo sita est, in vallem lapides eius precipitabo & fundimur euertam. Id factum est per Salmanassar, regem Assyriorum, 4. Regum 17. 18. anno nono Osee regis Israël, annis 133. ante excidium Ierosolyma quod multò verius quam Troix παναθηναί, καταφανες τοῦτο πάντα τοιστοις ποιοι ποιέει, ὡς τῶν μεγάλων ἀδημάτων μεγάλαι εἰς τὴν αἴματα παραπομόναις, οmnibus hominibus demonstrat, Quod atrocia delicta atrocibus poenis a Deo puniantur. Est autem omnium delictorum caput impietas seu idolatria, quod est crimen læsa maiestatis diuinæ. Ideo ipsis idolis & opibus ac bonis ecclesiasticis ex idolatria coaceruatis, παναθηναίas denunciat. Et omnia sculptilia eius concidentur, & omnia donaria eius comburentur igne. Et omnia idola eius perdam. Quia de donis meretricis congregata sunt, & ad dona meretricis reuertentur, Idola, & donaria templorum magnifice ornatorum & reliqua bona seu opes ecclesiarum ex donis meretricis, populi Israël scortatis cum idolis, deserto vero sponso Deo, congregatae: fient dona aliena meretricum, id est, aliorum idolatrarum, nam diripientur & deuorabuntur ab Assyriis & alijs impijs gentibus, vt sicut male partae sunt opes, male dilabantur.

AMPLIFICATIO. Propter hoc plangam & ululabo, vadam spoliatus nudus. Edam planētum, ut Dracones: & luctum, ut pulli Struthionum. Quia sperata est plaga eius. Amplificat propositionem à consequenti luctu, quem ipsum, & Synonymis, & ex locis signorum, & similium, & plaganabilis magnitudine exaggerat. Signum enim luctus est deposito in nestiore vestitu incedere fordida & vili ueste indutum. Id vocat spoliatum & nudum incedere. Similitudines verò à Draconum & Struthionum in desertis locis ululatu diro & ferali planctu, passim etiam alibi à Prophetis usurpati, Job 30. in fine 13. capituli Esaiæ, in descriptione excidi Bylonis. Item cap. 34. Psalm. 44. Scribunt & Dracones cum Elephatis saepe luctari, quorum sanguinem in ardenti æstu audiissime experuntur gyris suis circunplexos ebibunt. Cum autem Elephanti exhausti condunt, Dracones quoque inebratos & corpori suo implicatos una opprimunt & interficiunt. Quæ venusta imago est Draconis Diaboli, sanguina Christi sorbentis, & mortis, quæ interfecto Christo, ipsa sibi exitum mortem accersiuit, vt scriptum est: Ero mors tua o mors, ero pestis nisi inferne. Struthionum αἰρεγύια & stoliditas pene iisdem verbis defensatur à S. Job cap. 39. & à Plinio lib. 10. cap. 1. Verba Iobi sunt: Penna Struthionis similis est pennis Herodij & accipitris, Quando derelinquunt os sua, vt in puluere calefiant, obliuiscitur quod pes conculcat ea, aur bellum agri conterat. Duratur ad filios suos, quasi non sint sui, frustra laborauit nullum timore cogente. Privavit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam. Cum tempus fuerit, in altum alas erigit, deridet equum & ascen-rem eius. Thren. 4. Dracones extraxerunt mammas & lactauerunt canos suos. Filia autem mea crudelis sicut Struthio in deserto. Plinii lib. 10. cap. 1. Auum grandissimi & penè bestiarum generis, Struthiocandus Africi vel Aethiopici, altitudinem equitis insidentis equo excedunt, certitatem vineunt: ad hoc demum datis pennis, vt currentem adiungant: cetero non sunt volucres, nec à terra tolluntur. Vngulæ ijs ceruinis similes, quibus dimicant, bisulcae, comprehendendis lapidibus utiles, quos in figura sequentes ingerunt pedibus. Concoquendi sine delectu deuores

Herodius
est Ardea ein
Reiger, cu-
ius species est
Onocrotalus,
fuscus
pennas ha-
bens, & tetrū
ulatum
edens, quem
Germani ein
Rhordum-
mel appelle-
lant.

mira natura, sed nō minus stoliditas, in tāta reliqui corporis altitudine, cum colla frutice occultauerint, latere se existimantū. Præmia ex ijs oua, propter amplitudinē p quibusdā habita vasis: conosq; bellicos & galeas adornantes pennæ. Herodotus etiā in Melpomene, Struthionū mentionē facit, recensens feras Libyæ vſitatas, pag. 148. ἡ ωραὶ καὶ τὰς περιόδους τοῦ τρέβοι κατάγουσι.

Alia amplificatio propositionis καὶ μερισμον. Reliqua pars primi capitū usque ad finem, est Rhetorica amplificatio propositionis per distributionem seu enumerationem ciuitatum, quas in regno Iuda Assyrī post excidium Samarie vastaturi erant, videlicet suburbia Ierusalē, Beth Aphrah, Saphir, Zaanā, Beth Azel, Maroth, Lachis, Achzib, Maresa, Odollam, &c. Suntq; singula ferè ciuitatū mētiones ornatae ap̄tissimis Paronomasiis, vel Antithesis, vel alijs allusionibus concinnis, Quas in versione textus indicabo. Nam in veteri translatione latina, pleraq; nomina propria ciuitatū, appellatiuē reddita sunt, & sententia Prophetæ nativa, & figuræ ac ornamenta orationis, prorsus obscurata sunt. Quia venit plaga eius ad Iudam, peruenit ad portam populi mei ad Ierusalem. Nā euerso regno Samariæ, post paucos annos pleraq; ciuitates regni Iuda horribiliter euā per Sennacherib regem Assyriorum vexatæ & vallatæ sunt, & tandem exercitus ad portam urbis Hierosolymæ admotus est, 4. Reg. 18. 19. Es. 36. 37. In Gath ne annuncietis, sicut ne flatis, seu omnino nō ploretis. GATH Oppidum est Philistinorum, situm inter Ascalonē & Gazam, patria Goliath illius Philistei, quem David adolescens prostrauit 1. Reg. 17. Cum autem natuum & perpetuū & placē auctor odiū esset inter Iudeos & Philistinos: optat Micheas tegi posse plagam regni Iuda, ne hostibus Philistinis & οὐτικαρπάνοις voluptas ex Iudeorum interitu creetur. Sicut post imperfectum Saulen & Ionathan David lamentatur 2. Reg. 1. Quomodo ceciderūt fortes? Nolite annunciare in Gath, neq; annuncietis in compitis Ascalonis, ne forte lætentur filiæ Philistijm, ne exultent filiæ incircumcisorum. In domo pulueris ciuitate Aphra puluere in uoluie. Paronomasia est. Nā APHRA vel Ophra ciuitas est vicina Ierusalem in tribu Beniamin, cuius mentio fit Ios. 18. vbi in nostra versione scriptum est OFFORA. Alludens igitur ad nomen ciuitatis Prophetæ, (nam Aphar significat puluerem) prædictit eā in tantas calamitates venturam esse, vt merito se tanquam in magno luctu cineribus & puluere conspersura sit. Similes Paronomasie sunt in versu Sibyllæ, η πομπὸν ὑμη̄ ἔστεται η δῆλος ἀδηλος. Das. Consilium in Tredt wirdt zutrent werden. id est, dissipabitur. Wüstenhouen wirdt ein wüster hoff werden. Träsi vobis habitatrix SAPHIR, nudata ignominia. Due Antitheses sunt, primum in nominibus, Tu ciuitas SAPHIR, quæ nomen habes à pulchritudine, per Assyrios nudaberis & confusione ac ignominia operieris. Deinde in verbis Iosebeth & Ibri. Tu fuisti antea habitatrix, habuisti certam & firmam sedem & domicilium, nunc eris avies. vagaberis sine certa sede, nunc tibi fuga consules. Transi & fuge. Non egressa est habitatrix ZAANAN præluctu. ZAANAN oppidū est in tribu Iuda, cuius mentio fit Ios. 15. vbi in nostra translatione legitur, Sanan. Micheas igitur paululum deflectens pronunciationē vocabuli, alludit ad verbum Iaza, φ egredi seu expaciari significat. Quasi dicat, Zaenan seu ciuitas, quæ ab expaciando nomen habet, in bello & vastatione ingruēte, nō expaciabitur, sed domi suæ præ luctu se cōtinebit. Das spaciens gehen wirdt ihr verboten werden. Domus AZEL auferet ex vobis stationem suam, Oppidum Azel prorsus tolletur & delebitur. Nā Lakah nō tantū accipere, verum etiam tollere & auferre significat, Ichoua lakah: Domin⁹ dedit, Domin⁹ abstulit. Amad significat stare. Aufetet autem Bethazel stationem suā ex Iuda, non ampli⁹ ibi stabit, vt in Psal. dicitur, Non subsistet & non cognoscet amplius locum suum. Fuit enim Azel locus vicinus urbi Ierusalem & monti

& monti Oliueti, ut appareat ex Zach. 14. vbi Azel nomen loci, appellatio redditum est, usque ad proximum. & consentaneum est, nomen loci ortu esse ab Azel Beniamita, qui circa haec ipsa Micheæ tempora vel paulo ante vixit. 1. Paral. 8. *Quia infirmata est (doluit) propter bonum (amissum) habitatrix (ciuitas) MAROTH.* Est autem MAROTH oppidum regni Iuda, cuius nomen extat Ios. 15. vbi Bethsuræ coniungitur, quam non plus quaque stadijs ab urbe Ierosolymis absuisse, Maccabæorum liber testatur. Quod igitur urbs Ierosolyma per Sennacherib obsideretur, non dubium est, opida urbi Ierosolymæ vicina, Bethazel, Bethsuram, Bethaniam, Maroth, &c. horribiliter ab exercitu Assyrio vastata esse, ita ut Bethania vere esset Bethania, id est, domus miseriae cum aceto. Et ciues Maroth vere essent in Maroth, amaritudinibus seu amarissimis calamitatibus.

*Alliga currunt
um ad equos velocissimos (veredarios) habitatrix (ciuitas) LACHIS. Prince-
pium peccati est illa Filiæ Zion. Quia in te inuenient & sunt prævaricationes Israël.
Chis celebris urbs est in tribu Iuda, Ios. 15. cuius regem vincit Iosua cap. 2. Munita est à Roboam filio Salomonis, 2. Paral. 1. Itaq; cum Sennacherib Rex Assyriorum, Micheæ tempore, eam obsideret, aliquantis per imperium obſidionis sustinuit, & se defendit, Esa. 36. 4. Reg. 18. & 2. Paral. 32. Sed tamen capta est. Ideo iubet eam Propheta celestimo cursu aufugere. Ercus fam calamitatis esse ait, quod prima ex regno Iuda transgressiones fecerunt Idolatricos regni Israël amplexa sit. Ieronimus vertit, *waga iorambo-
tio est, sed unde deriuet ignoro.**

*Propterea dabis legatos vel munera ad Moreseth vicinam Gath. vel appelli-
atiue reddatur. Propterea dabis legatos ad hereditatem Gath. Domus Ach-
zib mendacij in deceptionem erunt seu fallent regibus Israël. Vicina oppi-
da sunt in finibus tribuum Iuda & Dan, Maresa, Gath, & Achzib. Et urbs
Moreseth existimo Maresam, vel omnino illi vicinam esse patriam Micheæ
Prophetæ. iubet igitur urbem Lachis ad vicinas ciuitates Moreseth, Gath
& Achzib legatos & munera mittere & auxilium illarum implorare: Quod
tamen frustra fore, & eadem calamitate cæteras quoque ciuitates ope-
ri ostendit. Et dominus Achzib ciuitatis in tribu Iuda (Ios. 15.) munifici-
mæ, frustrabuntur spe sua reges, qui eam inuictam fore sperabunt. Respon-
debit enim nomini suo Achzib, id est, mendacium.*

*Adhuc hæredem posseſſorem adducam tibi habitatrix MARESA. De Maresa diximus in Tra-
to Prophetæ. Significat autem nomen, hæreditatem seu posſeſſionem. A
hanc notationem alludens Propheta inquit, Deum adducturum esse Mar-
sa hæredem seu posſeſſorem, videlicet regem Assyrium, à quo occupabur.
Ad ADVILLAM usq; veniet gloria Israëlis. Notum & celebre oppidum Iuda
est ADVILLAM, seu ODOLLAM, vt in nostra versione scribitur, situm non
procul à Ierosolyma versus occasum brumalem. Munitum fuit à Roboam
filio Salomonis, 2. Paral. 11. Sed hic prædictit eam munitionem vaſtam
& euerſum iri, ſicut ciuitates regni Israël euerſæ erant. Quasi dicat. Eandem
gloriam habebit Odollam, quam regnum Israël affeſcutum eſt, videlicet
tremam ignominiam, vaſtitatem, & miseriā.*

*Decaluare & tondere p-
pter filios tuos dilectos, dilata caluicium tuum sicut Aquila, quoniam transfor-
runt à te. Epilogus primi capituli repetens propositionem, illustrans hi-
ris, ex loco consequentium, signorum & similiūm petitis. Filii Israël cap-
ui in Assyriam abducentur, & tanta magnitudo calamitatis erit, ut que-
admodum in magno luctu apud Iudeos fieri solebat, comam præcifuris
equis.*

euulsi, & instar aquilæ, quæ certis temporibus plumas omnes amittit, planè calui futuri sint. Quare toto pectore de admissis peccatis doleant, & pœnitentiam serio agant, ut meritarum pœnarum mitigationem à Deo impetrant.

Caput II.

T R E S P A R T E S.

I. *Concio Legis accusans Tyrannidem & iniustiam cum V. & VII. precepto pugnantem.*

II. *De promissionibus bonorum corporalium quomodo intelligendæ sint.*

III. *Concio Euangeli de Christo & ecclesia.*

VAE cogitantibus iniqua, & facientibus malum in cubilibus suis, ut in luce matutina perpetrent illud, Quoniam est in fortitudine manus eorum. Et concupierunt agros, & violenter rapuerunt eos. Et Domus concupierunt & abstulerunt eas, & calumniati sunt virum & domum eius, virum & hæreditatem eius. Idcirco sic dicit D O M I N U S, Ecce ego cogito super familiam istam malum: Nec auferetis inde colla vestra: nec ambulabis erecti: quoniam tempus malum erit illud. In die illa sumetur à vobis proverbum, & lamentabitur lamentum lamentabile, dicens. Vastando vastati sumus, Hæreditatem populi mei Rex Assyriorum commutauit. Quomodo auferet mihi quod meum est? pro reddendo agros nostros duidet. Propterea non erit tibi mittens funiculum in sorte in cœtu D O M I N I.

PRIMA PARS capit is est Concio legis arguens peccatum, & denuncians populo Israël iram Dei, amissionem terræ, & captiuitatem Assyriacam: cui comminationi euentus respondit, cum decem tribus per Salmanassar Regem Assyriorum abductæ, & nouis colonis ac militibus Assyriis, agri, in regno Israël, diuisi sunt, 4. Regum 17. Huius tristissimæ pœnae consideratione, & Israëlitas, & omnes homines similibus peccatis obnoxios, Propheta flecti vult ad pœnitentiam seu peccatorum agnitionem & deplorationem seriam, & verum timorem Dei ac Fidem & nouam obedientiam, qua imminentium ceruicibus nostris pœnarum depulsionem vel mitigationem impetreimus. Propositio autem & summa trium primorum capitum est: Deus horribiliter puniet & euerteret regnum Samariæ & Iudæ propter PECCATA principum, Sacerdotum & populi. Ut igitur in primo capite idolatriam præcipue & impietatem erga Deum, cum prima tabula

Cc Deca-

Decalogi pugnantem Micheas taxauit : ita nunc Tyrannidem & iniustiam
V. & VII. in primis Decalogi præcepto aduersantem , & vel manifesta vio-
lentia vel dolo ac fraude , aliorum bona, domos, agros, ad se rapientem &
iniustis aucupijs opes cumulantem accusat. Quam violentiam & iniurias,
vnam ex præcipuis causis esse, propter quam regna & ciuitates mitterentur &
euertantur, Syracides etiam cap. X. indicat. Regnum à gente in gentem
transfertur propter iniustiam & iniurias & contumelias & diuerbos do-
los. Virtus opposita est **IUSTICIA**, quæ normis legum consilia & actiones
suas regit, & nullius corpori, famæ vel bonis nocet sine iusta causa, sed fi-
um cuiq; iuxta leges tribuit, & seruat æqualitatem. Extrema sunt vis & fraus
seu calumnia. Nam vel manifesta violentia , tyranni & alijs potentes, in pa-
perum vitam, corpora vel bona grassantur, vt apud Hesiodum accipiter Phu-
lomelam dilaniat, Pharao infantes Ebræorum interficit, Sylla & huius ex-
emplum secuti triumviri , ciuibus Romanis agros vi rapiunt , & suis militi-
bus diuidunt. Vel prætextu iuris seu dolo & fraude aliorum vitæ & bonis
insidiantur, vt Herodes prætextu Iurisurandi Baptistam trucidari iubet. Je-
zabel fraude necato Naboth vineam eripit. Hæc duo iniustiæ genera,
Micheas in hoc capite, verbis Gazal, violenter auferre se rapere, & Ascalon
calumniari seu defraudare : & Iohannes Baptista Luc. 3. verbis *ἀποτίειν* & *κακοφαρτεῖν* distinguit. Ac digna consideratione est hoc in loco, V. & VII. præ-
cepti enarratio , quod non externa tantum iniuste facta , furta , & rapinas,
quæ manibus fiunt, verum etiam iniustas & pleonecticas cogitationes, vni-
tas inclinations & cupiditates alienorum bonorum prohibere ostendit.
Et quidem cogitationes iniucas de alijs lœdendis in mente , & cupiditates
seu *ποιησεῖν* perpetrandi deliberata in voluntate, nominat peccata actualia,
seu operari & facere malum in cubilibus suis. Quodigitur vulgo dicitur,
cogitationis pœnam nemo patitur, id de iudicio legis Dei falsissimum est. In
ciiali autem iudicio eatus locum habet, si conatus aliquis perpetrandi fa-
cinoris nō accesserit, alioquin dolus pro facto accipitur, & in maleficis vo-
luntas spectatur non exitus, sicut & Iuuenalis inquit: Has patitur pœnas po-
candi sola voluntas. Nam scelus intra se tacitum qui concipit ullū facti ci-
men habet. Minatur autem iniustis raptoribus Propheta pœnam talionis,
ac prædicti vicissim eis domos & agros & totā terram seu hereditatem po-
puli Israël per Assyrios ereptum iri : (Esa. 33. Væ qui spolias , quia spoliabe-
ris) & superbos ac potentes, qui haec tenus iniurijs alias oppresserant, nunc
vicissim sub iugum servitutis depresso & captum iri per Assyrios : ex qua
captiuitate nunquam colla sua subducere: nunquam agros regni Israël Assy-
rijs militibus & alijs diuisos (4. Regum 17.) recuperare: nec ullam amplius
partem in regione populi Israël seu cœtus Domini assequi poterunt. Et
enim finalis vastatio seu *πανωλεθεία* regni Israël , quod nunquam restitutus.

SECVNDA PARS CAPITI.

Non stilletis. **¶** imò stil-
labunt. **¶** Non stilla-
ba impiorum , quibus Prophetas comminantes exilium & vastitatem men-
dacijs arguunt, & prohibent ne talia prædicent. **¶** Responsio Prophetæ, qui
nomine Dei affirmat , etiamsi nolint impij , tamen verbum Dei constanter
prædicari debere. **¶** Verba impiorum.

" Mimesis & Dialogismus
impiorum Magistratum, &
Prophetæ. Non stilletis. Ver-

bunt

bunt illis: non apprehendet^s confusio. * An non dixit domus^s Iacob? Num abbreviatus est^s Spiritus Domini? an ista sunt^s operacius? * An non verba mea bona sunt, cum eo qui recte ambulat? * At iampridem populus meus hostis instar insurrexit aduersus me. * Veste & pallio spoliastis praetercuentes securè, reuertentes ex bello. Mulieres populi mei^s eieciſtis ex ædibus deliciarum suarum. A' paruulis earum abstulisti^s gloriam meam seu ornatum meum in perpetuum. * Surgite, & abite: Quia non erit hæc requies. Propter immundiciem^s rumperis & quidem abruptione vehementi. Si vir ambulans vento, & falso^s mētiens diceret: Stillabo tibi de vino & ebrietate. Hic esset^s stillator populi istius.

promissiones bonorum, sed comminationes pœnarum horrendæ pertinent. * Minorem declarat. Eos, qui incolumes ex bello euaserunt, & nihil periculi amplius metuunt, spoliatis: polluitis adulterio aliorum coniuges: vestras temere repudiatis: viduas ex caris ædibus suis ejicitis. * Repudiasti. * Repacitate & Tyrannide vestra impeditis, quò minus paruuli à parentibus honestè educari & ad gloriam Dei & aliorum salutem institui possint. Vel spoliatis eos hæreditate & bonis paternis, quibus ego eos ornaui. * Conclusio Syllogisni. Ideo ejiciemini ex terra, vestris idolis & sceleribus polluta, & ducenti captiui in Assyriam & Babyloniam. * Vastabitur terra & quidem extrema vastatione. * ἀνεμάλια βόλων. Vanus, promittens iniuria, victoriam, pacem, opes. * Sicut Anania Ierem. 28. & alij Ierem. 7. & 8. * Propheta seu concionator pro populo isto.

DE PROMISSIONIBVS BO- norum corporalium.

Singularis & propria ecclesiæ Dei sapientia est, recte intelligere diuinæ promissiones, & earum discrimina. Omnibus enim temporibus, etiam magni homines, mala promissionum corporalium interpretatione lapsi sunt.

* Non vastabitur terra, non delebitur Regnum à Deo constitutū, nō abducentur captivi. * Summa obiectionis impiorū est. Domui Iacob diuinitus promissa est terra Canaan & defensio ac Regnum perpetuum. Nos sumus domus Iacob & populus Dei. Ergo non amitteremus terram & regnum nostrum, sicut Micheas prædicat. * Populus Israël ortus à Iacob, cui promissio facta est. Non auferetur scepter de Iuda donec veniat Siloh. * Ut cum promiserit defensionem, non possit præstare. * Penitus delere ecclesiam, & non potius seruare, & gloriose tueri, sicut populum Israël in mari rubro liberauit. * Respondet Propheta ad Maiores argumenti impiorum. Deus promisit terram & defensionem, Bonis & pijs, qui recte ambulant, hoc est, qui verbo Dei obediunt. * Ad minorem, Sed vos estis hostes Dei, idolatræ, iniusti, raptores, &c. Ergo ad vos non

promissiones bonorum, sed comminationes pœnarum horrendæ pertinent. * Minorem declarat. Eos, qui incolumes ex bello euaserunt, & nihil periculi amplius metuunt, spoliatis: polluitis adulterio aliorum coniuges: vestras temere repudiatis: viduas ex caris ædibus suis ejicitis. * Repudiasti. * Repacitate & Tyrannide vestra impeditis, quò minus paruuli à parentibus honestè educari & ad gloriam Dei & aliorum salutem institui possint. Vel spoliatis eos hæreditate & bonis paternis, quibus ego eos ornaui. * Conclusio Syllogisni. Ideo ejiciemini ex terra, vestris idolis & sceleribus polluta, & ducenti captiui in Assyriam & Babyloniam. * Vastabitur terra & quidem extrema vastatione. * ἀνεμάλια βόλων. Vanus, promittens iniuria, victoriam, pacem, opes. * Sicut Anania Ierem. 28. & alij Ierem. 7. & 8. * Propheta seu concionator pro populo isto.

CHYF

Ac commune argumentum, quod sapientes, principes & sacerdotes impij, in populo Iudaico, Micheæ, Ieremiæ & cæteris prophetis, vaſtationem & excidium regni p̄ædicentibus obiecerunt, hoc Syllogismo comprehendendi potest. Promissiones Dei sunt certæ, firmæ & immotæ, Non enim mendax est Deus, nec abbreviatus est spiritus Domini, vt preſtare non possit, quæ promisit: nec tales sunt cogitationes eius, vt domum Iacob seu ecclesiā suam ita ignominiosè confundere & perdere, ac non potius feruare ac defendere velit. Deus certò promisit domui Iacob hæreditatem terræ Canaan, & defensionem aduersus omnes hostes, ac regnum perpetuum usque ad Messiae aduentum, Genes. 49. Non auferetur ſceptrum alda, donec veniat Siloh. Genes. 12. Semini tuo dabo terram hanc. Genes. 22. Possidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum. Ergo certissimè defendetur populus Ifraël, & hæreditatem terræ promißæ retinet, nec comprehendet cum hac confusio, ſeu vaſtitas, exilium, & feruitus ignominiosa, de qua Micheas affiduè ſtillat ſeu concionatur. Nullo igitur modo ferendum eſt, vt contra exprefſas Dei promissiones, Micheas, Ieremias, Esaias & cæteri prophetæ ſtillent ſeu p̄ædicent, Regnum Ifraël vaſtatum & populum captiuum abductum iri. Ita nos omnes argumen- tari ſolemus. Ecclesiæ diuinitus promissa eſt defensio & conſervatio perpetua etiam in his terris. Nos ſumus Euangelici, ſumus vera ecclesiæ Dei, proſitemur veram euangelij doctrinam, & veros Dci cultus retinemus. Ergo impossibile eſt nos vinci à Turcis aut Pontificijs: aut alioquin politias & coetus noſtros diſſipari & euerti. Sed multo ſpeciōſor erat Iudæorum ratio, quibus nominatim & expreſſe certa ſedes regni & ecclieiæ in Canaan diuina voce promiſſa erat.

Quare ut dextre & perſpicuè hoc argumentum ſep̄e in Prophetarum certaminibus repetitum explicetur: diſcriben promiſſionum initio attentè conſiderari debet. Prima & ſumma & maxime neceſſaria promiſſio eſt Euangelij propria, de remiſſione peccatorum & reconciliatione cum Deo, & ſpiritualibus ac æternis bonis, quæ Deus certò & nomina- tim ſine uilla conditione aut exceptione promiſit ſe credenti daturum eſt, vt Romanor. 4. dicitur. Ideo ex fide gratis vt firma ſit promiſſio. Acto- rum 10. Christo omnes Prophetæ, &c. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum. Aliæ ſunt promiſſiones bonorum corporalium, vt vitæ, victus, certa le- diſis, regni, defenſionis, libertatis, pacis, bona valetudinis, liberations ex morbo, carcere, exilio, fame, bello, &c. Hæ quoque promiſſiones veræ & ratæ ſunt, ſicut ſonant: & certò exhibentur bona corporalia, ſicut promiſſa ſunt. Pendent autem aliqua ex parte ex conditione noſtræ obe- dientiæ, ſicut cæteræ promiſſiones legales, quæ obedientibus præmia & bona omnia; inobedientibus vero omnis generis calamitates & penas denunciant, vt in primo p̄æcepto dicitur, Ego sum Dominus Deus tuus visitans iniqutitatem patrum in filios, in tertiam & quartam genera- tionem: & benefaciens in millia hiſ, qui diligunt me, & feruant mandata mea. Semper igitur promiſſionibus bonorum corporalium he- quatuor conditiones ſeu exceptiones addenda ſunt. I. Cum promittantur bona li- bnis & obedientibus, non impeditur Deus promiſſione ſua, quò minus impa- contumaces, & ſceleratos nebulones ſeu rē puniat, ſicut inquit Micheas. Nonne verba mea bona ſunt, cum eo qui recte graditur? ſed populus meus

meus hostiliter consurrexit aduersus me. Et Ieremiæ cap. 7. Iudæis obijc-
entibus promissionem de mansura in hoc populo Ecclesia & templo usque
ad Messiam respondet, Nolite confidere in verbis mendacia dicentium, &c.
Nam totus ille locus huc referendus est. Ierem. 25. Reuertimini vnu quis-
que à via sua mala & à pessimis operibus vestris & habitabitis in terra, quam
dedit dominus vobis & patribus vestris. II. Cum etiam in pijs & obedi-
entibus seu vera ecclesia, multæ sortes peccatorum, caligo & dubitatio-
nes & prauæ inclinationes ad securitatem, admirationem sui & alios affe-
ctus viciosos reliquæ maneant : certo consilio *Deus etiam pios & sanctos*
arumnis & cruce vult exerceri, ut peccatum in eis aboleatur, & paenitentia, si-
des, inuocatio, spes & ceteræ virtutes crescant & expoliantur. Ideo Deus non
tantum impios Reges Oseam & Zedechiam & alios idolatras, verum etiam
Tobiam, Danielem & multos pios in exilium abduci sinit, & omnibus tem-
poribus præcipua & summa ecclesiæ Dei lumina durissimis calamitatibus
exercuit, 2. Timoth. 3. Omnes, qui pie volunt viuere in Christo Iesu, per-
secutionem patientur. Mar. 10. Recipient centuplum in hac vita, sed cum
tribulatione. III. *Non prescribendus est Deo modus aut tempus, quo pro-*
missa bona debeat exhibere, nisi voce Dei disertè exprimatur. Plerumq; enim
longè alio modo & tempore Deus promissa præstat, quam ratio humana
imaginatur. Nequaquam cogitat Moyses se totis 40. annis in deserto va-
gaturum esse. Sed cogitat fortasse ad summum vnius mensis iter fore, cum
non plus 50. nostris miliaribus fines Aegypti à Ierosolyma distarent. A-
brahæ & semini eius promittit & dat Deus terram Canaan, sed non eo tem-
pore & modo sicut ipse cogitauerat : verum anno 470. post primum editam
promissionem. Apostolis promittit Deus conseruationem & propaga-
tionem euangeli & ecclesiæ. Sed ipsos & eorum discipulos miserabiliter
trucidari sinit. & tamen interiin per totum terrarum orbem Euangeliæ do-
ctrina & ecclesiæ limites proferuntur & dilatantur. Ita regnum Iuda & tem-
plum seruat Deus usque ad Messiam : sed longè alio modo quam Iudæi
suum habant. Punit prius impios reges & sacerdotes & vniuerſam gentem
diffidat, & templum, quo præcipue confidebant, funditus euertit. Et ta-
men post annos 70. reducit populo templum & politiam instaurat, & pro-
missionem præstat. IIII. *Non sunt rapienda bona corporalia à Deo promis-
ta, nostris consilijs, sine diuina vocatione.* vt etiam si Davidi promissum est re-
gnum populi Israël, tamen non rapit illud ante mortem Saulis. Abrahæ,
Iaac & Iacob promissa erat terra Canaan, nec tamen occupant illam : imo
mortui sunt non accepta promissione, expectantes meliorem & æternam
patram in cœlis. Ita nos in omni vita cogitemus Dei promissiones mira-
bili modo impleri, & non acceptis vel amissis etiam bonis corporalibus,
tamen firma fide retinendam esse summam promissionem gratiæ & vitæ æ-
ternæ propter Christum certò donandæ, sicut Abraham & cæteri patres,
et si nec vestigium pedis in terra promissa acceperant, tamen in Dei miseri-
cordia certo donante æternam salutem propter semen benedictum ipsis
promissum adquieuerunt. Et Iob inquit: Etiam si occiderit me, sperabo in
eum. Cum igitur bona corporalia à Deo petimus: semper hæ quatuor
conditiones nobis in conspectu versentur, vt reuenerenter nos sapientiæ, &
voluntati Dei paternæ, si diutius nos arumnis exercere, vel promissa bo-
na corporalia non statim largiri velit, subiiciamus, sicut David in exilio
precatur: Si volet Dominus, reducat me; si autem non volet, præstò sum,

faciat quod bonum est in oculis suis. & in preicatione Dominica quotidie oramus, Fiat voluntas tua. & Leprosus Matth. 8. Domine, si vis, potes me mundare.

Hac utili & necessaria ac salutari doctrina de promissionibus bonorum corporalium considerata, facilis est argumenti propositi explicatio. Vera est enim maior: promissiones Dei certas & ratas esse, scilicet, sicut sonant, promissionem gratiae & vitae aeternae certò exhibet Deus credenti sine illa exceptione. Promissiones vero bonorum corporalium, praestat Deus suis his quatuor conditionibus, quas exposui. Deinde respondeo ad minorem: Deus promisit domui Iacob, seu populo Israël, hereditatem terrae Canaan, & defensionem ac regnum perpetuum: Sed cum hac conditione, si Deo obedirent & mandata eius seruarent, ut in primo precepto dicitur. Benefaciens in millia his, qui diligunt me, & seruant mandata mea. Leuit. 18. Cauete ne polluamini, sicut gentes, quas eieci ante vos, ne & vos euomatis terra, cum paria feceritis, sicut euomuit gentem, quae fuit ante vos. Deut. 4. Cauete ne obliuiscaris pacti Domini Dei tui, Alioquin testes inuoco hodie cœlum & terram, citò vos perituros esse de terra, quam transito Iordanem possessuri estis. Ezech. 33. Iudei dicunt: Abrahæ promissa est hereditas terræ, & nobis data est terra in possessionem. Idcirco dices ad eos, Qui in sanguine comeditis & sanguinem funditis, & oculos vestros levatis ad immundicias seu Idola vestra, nunquid terram hereditate possedebitis. Huc totum caput Deut. 28. pertinet. Proclus eodem modo hic Propheta respondet. Nonne verba mea bona sunt, cum eo, qui recte graditur: sed populus meus hostiliter insurrexit aduersus me. Nihil igitur ad hunc impium populum, idolatriæ, iniusticiæ & rapinis deditum, & tamen interim se titulo domus Iacob & populi Dei venditantem, pertinent promissiones bonorum, quæ bonis & pijs seu recte ambulantibus, hoc est, verbo Dei intercenter obedientibus factæ sunt. Impijs vero idolatræ & raptoribus combinationes pœnarum & horribilium calamitarum propositæ sunt, Deut. 28. Quare vos euomet terra, sicut Cananeos ante euomuit.

Quod ad verba textus (*Ne stillets: imò stillabunt*) attinet, vñitatum est alijs etiam prophetis, ut verbo Nataph, stillare, pro dicere, concionari, prædicare seu prophetare vñtantur, Ezech. 20. Pone faciem tuam contra meridiem, & stilla versus Africum. Ezech. 21. Stillat super sanctuarium & propheta contra terram Israël. Amos 7. Non probabitis super Israël, & non stillabis super domum Israël. Iob. 29. Super illos stillabat eloquium meum. Deut. 32. Stillet sicut pluia doctrina mea. Sumta est autem Metaphora à pluia stillante vel aqua defluente, sicut apud Græcos, verbum quod dicere significat, ἔρειν, ἔρειν, & ars ipsa dicendi ὑπορίουν, ὑπτωει, à verbo πέσει deducuntur, quod ex ore dicentis verba veluti fluant. sicut, & Plato inquit. τὸ τῶν λόγων ῥάμα, ἔρειν, καὶ ταπερεῖν Φεοῖς, πάντων ἀριστον τε καὶ καλλίστον. Sed aptissima ratio Metaphoræ indicatur ab Esaia cap. 55. Sicut descendit imbiber de cœlo & inebriat terram & germinare eam facit: Ita verbum meum, quod egreditur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed fit quæcunq; volui. Instituit autem Micheas hoc in loco Dialogismon seu Sermocinationem, ut in Rheticis nominatur. Nam impmagis

magistratus, Sacerdotes & alij, audientes Micheam & cæteros Prophetas, exilium, seruitutem & extremam vastitatem totius Regni prædicere: nolunt audire tales concionatores, & prohibent ne talia loquantur (*N E S T I L L E T I S*) sicut apud Esaiam cap. 30. filij nolentes audire Legem Dei, dicunt videntibus, nolite videre, & aspicienibus, nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores, &c. Respondet autem Micheas nomine Dei (*I M O S T I L L A B V N T*) seu docebunt & prædicabunt nihilominus p̄ij Prophetæ, nec se vllis minis aut prohibitionibus deterrei sînt, sicut Actor. 5. Apostoli concilio Sacerdotum mandanti, ne stillarent deinceps Euangeliū de Christo, respondent, Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Rursum autem instant impij & interdictum suum repetunt (*non stillabunt*) & rationem addunt, *Non comprehendet confusio domus Iacob*, q. d. Impossibile est dominum Iacob seu populum Israël, quem ex toto genere humano elegit Deus, vt peculium ipsius esset, cui terram Canaan & regnum perpetuum promisit, ita turpiter & ignominiosè ac horribiliter confundi, vastari & deleri, sicut prophetæ clamitant. Quare nullo modo ferri debet, vt diutius talia stillent, sed os eis obturandum est. Reliqua pars textus, antea vñque exposita est.

TER TIA PARS.

Congregando congregabo Iacob totum te, colligendo colligam reliquias Israël. In vnum ponam eos tanquam gregem Bozra, tanquam gregem in medio ouilis, strepitus erit præ multitudine hominum. Ascendet Perruptor ante eos, & transibunt portam & egredientur per eam. Et transibit Rex eorum coram eis. Et D O M I N V S caput eorum erit.

Tertia pars capitinis est *Concio euangelij de regno Christi & de ecclesia ipse subdita*, seu congregatione reliquiarum populi Israël in uno ouili, cuius pastor & Rex est D O M I N V S Iesus Christus. *Est enim ecclesia Catholica*, congregatio seu communio sanctorum, omnium primorum hominum omnibus locis & temporibus viuentium, qui Deum recte agnoscunt & inuocant, & promissionem de Christo Israëli traditam fide amplectuntur, & ex captiuitate peccati & mortis per Christum regem & pastorem animarum liberati sunt, & euangelio ac spiritu Christi pascentur ad vitam æternam. Rex vero & pastor ecclesie Christus, est D O M I N V S seu secunda persona diuinitatis unita humanitati, quæ regnum Diaboli, peccati & mortis, patiendo & potentia diuina perrupit ac vicit, & per euangelij à se ex sinu

patris prolati prædicationem, colligit sibi ex Iudæis & gentibus æternam ecclesiam, cui remissionem peccatorum, & salutem æternam suo sanguine & morte confectam impertit, & quam verbo euangelij & spiritu sancto suo in his terris regit & pascit, & oppressam cruce defendit, & tandem resuscitatum ex morte ornabit vita & gloria æterna. Ideo enim ascendit in cœlos, & perrupit, ut nobis portam cœli patefaceret, ut nobis aditus in cœlum pateret, & membra capiti vnta cœlesti consuetudine Christi capitis perpetuo fruerentur.

Sæpe autem in Prophetis mentio fit congregationis seu restitutionis populi Israël inter gentes dispersi, ut Hierem. 23. Ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos illuc: & conuertam eos ad rura sua, & crescent & multiplicabuntur: & fuscitabo super eos pastores, & pascam eos. Non formidabunt ultra, & non pauebunt, & nullus queretur ex numero, dicit Dominus. Ecce dies venient, dicit Dominus: & fuscitabo David gerumen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iusticiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israël habitabit confidenter. Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus: & non dicent ultra: viuit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Aegypti: sed, viuit Dominus, qui eduxit & adduxit semen Domus Israël de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eos illuc: & habitabunt in terra sua. Esa. 52. Gaudete, & laudate simul deserta Hierusalem: quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Hierusalem. Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium: & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite attingere. Exite de medio eius, mundamini qui fertis vase Domini. Quoniam non tumultu exhibitis, nec in fuga properabitis. *Præcedet enim vos Deus in vno & congregabit vos Deus Israël.* Ezech. 34. Et liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam, Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum, sic visitabo oves meas & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispergierant in die nubis & caliginis. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam, & pascam eas in montibus Israël, in riuis, & in cunctis sedibus terræ. In pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israël erunt pascua earum. Ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguis pascentur super montes Israël. Ego pascam oves meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod pericrat, requiram: & quod abiectum erat reducam: & quod contractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat, consolidabo: & quod pingue & forte, custodiam, & pascam illas in iudicio. Has Prophetarum conciones Iudæi de corporali tantummodo reductione & regno mundo in Iudæa instaurando loqui somniant: nec animaduertunt TRE PARTES SEV GRADVS RESTITUTIONIS ESSE POPVLI ISRAËL, de quibus fere simul & coniunctim Prophetæ concionari soleant. Primum enim corporalis reductio Iudæorum ex captiuitate Babylonica & instauratio politie & templi sub Cyro facta est. Sed multò sublimior & gloriosior est spiritualis restitutio regni Israël, de qua principaliter Prophetæ loquuntur: in qua per euangelion de Christo sparsum toto orbe terrarum, tota Domus Israël

mus Jacob & religio Israëlis, hoc est, omnes homines p̄ij, Iudæi & gentes, Christum Regem & Pastorem suum fide agnoscentes, & remissionem peccatorum ac vitam æternam propter Christum accipientes, congregantur. Non enim illi tantum, qui sunt ex Israël orti carnali generatione, sunt Israël, hoc est, vera ecclesia & populus Dei. Sed filii promissionis, hoc est, fide amplectentes promissionem de Christo, Israëli traditam, computantur in semen Abrahæ seu veræ ecclesiæ Dei, cuius pater & exemplum est Abraham credens promissioni, Rom. 4. 9. 11. Genes. 15. Quare in his Prophetarum concionibus, nomine Domus Jacob & Israëlis, non tantum Iudeos, sed totam ecclesiam Dei credentem in Christum Israëli promissum significari sciamus. Tertius gradus restitutionis Israëlis est integra & perfecta liberatio ecclesiæ ab omnibus malis in cœlesti & æterna cum Deo consuetudine; quam plerunq; Prophetæ cuin priori coniungunt.

Illustrat autem & ornat Micheas hoc in loco doctrinam de ecclesia & regno Christi insignibus Metaphoris ac similitudinibus, quibus Christum etiam in nouo Testamento aliquoties vsum & delectatum fuisse apparet. A' Pastore & ouibus ac ouili Iohan. 10. Ego sum pastor bonus, videlicet pascens oves seu membra ecclesiæ salutaribus pascuis euangelij & sacramentorum, & defendens eas aduersus lupos, Diabolos, tyrannos & Hereticos, atque etiam proprio sanguine profuso eas ex potestate Diabolorum liberans. Item, Ego sum ostium, per me si quis ingressus fuerit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua intueriet. Habeo autem & alias oves, scilicet gentes, & has oportet me adducere ut fiat unum ouile & unus pastor. Oves autem meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & vitam æternam dō eis, & non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas ex manibus meis. Deinde Metaphora perrumpendi ipse Christus vtitur Matth. 11. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Sicut hic Micheas inquit, Tumultum fore præ multitudine hominum. Ascendet enim perruptor ante eos & pertrahit ipsi quoque. Quasi dicat, ingens multitudo hominum cum magna frequentia & impetu irruet ad audiendum euangelion & veræ ecclesiæ Christi ouile. Etsi autem varia impedimenta & remoræ tendentibus ad regnum cœlorum, veram agnitionem Christi, remissionem peccatorum & vitam æternam assequendam obiciuntur, tamen per omnia aduersa, per peccatum, mortem, maledictiones Legis, & externas tyrannotum & hereticorum persecutions forti & infracto animo perrumpent duce Christo perruptore, qui viam nobis planam patetfecit, abolens chirographum, quod contra nos erat in decretis, affigens illud cruci, & deuiciis ac spoliatis Diabolis triumphans. Ephel. 2. Ipse enim perrupit & diruit sepiem seu maceriam interpositam & legem præceptorum in decreto aboleuit. Non igitur leuis & ludicra res esse existimetur ingredi in ouile Christi & regnum cœlorum. Sed per varios casus, per multa discrimina rerum duce Christo rege & pastore nostro perrumpendum est, sicut Paulus Ephe. 6. Militem hominis Christiani aduersus Diabolos, tyrannos, hereticos & viciosæ naturæ imperus hostiles describit. Et i. Iohan. 5. Haec est victoria, quæ vincit mundum, Fides nostra. DOMINVS erit CAPUT COMITUM. Christus Iehoua, veræ & natura Deus, erit caput ecclesiæ, ex quo omnis vita, iusticia & salus in omnia ecclesiæ membra emanabit. Ephes. 1.

Ipsum

Ipsum dedit caput super omnia ecclesiæ , quæ est corpus eius omnia in omnibus impletis. Coloss. 1. Christus est caput corporis ecclesiæ . Ex hac collatione dictorum noui Testamenti, vera & genuina Propheticarum connectionum sententia petatur. Nec dubito hanc interpretationem, quam recitavi, rectiorem esse, quam aliorum quorundam interpretum, qui postrem hanc secundi capituli partem, de obsidione Ierosolymæ & perrupto à Sedechia rege fugiente muro (4. Reg. 25.) intelligunt.

Caput III.

Et dixi: Audite quæso capita (*Principes*) Iacob & duces domus Israël. An non vestrum est scire iudicium? Qui odio habetis bonum & diligitis malum. Qui ab ripitis pellem eorum ab eis, & carnes eorum ab ossibus eorum. Qui comedunt carnem populi mei, & pellem eorum ab eis excoriauerunt, & ossa eorum nudarunt & conciderunt tanquam (*posituriea*) in lebete, & quasi carnem in medio caldarij (*seu aheni*). Tunc clamabunt ad D O M I N U M & non respondebit eis, & abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut & ipsi nequiter egerunt operibus suis. Sic dicit D O M I N U S contra Prophetas, qui seducunt populum meum, & mordent dentibus suis, & prædicant pacem. Et qui non dederit in os eorum, *quod vorent*, sanctificant contra eum bellum. Propterea nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione. Et occidet Sol super Prophetas, & obtenebrabitur super eos dies. Et confundentur Videntes, & pudescient Diuini, & operient labia sua omnes, Quia non responsum Dei adferunt. Ego vero plenus sum virtute Spiritus D O M I N I , & iudicio & fortitudine, ut annuncie Iacob scelus suum & Israëli peccatum suum. Audite quæso hoc capita *Principes* domus Iacob & duces domus Israël, qui abominamini iudicium & omnirectum peruerritis, ædificantes Sion in sanguinibus & Ierusalem in iniuitate. Principes eius propter munera iudicant, & Sacerdotes eius propter mercedem docent, & Prophetæ eius propter argentum diuinant. Et tamen super D O M I N U M nituntur, dicentes, Nónne D O M I N U S in medio

medio nostrum? Non veniet supra nos malum. Ideo propter vos Sion quasi ager arbitur, & Ierusalem aceruu*la-*
pidum erit, & mons domus in excelsa syluarum.

PROPOSITIO & summa trium primorum capitum Micheæ hoc Syllogismo continentur. Regna & principes ac ciuitates, deditas idolatriæ, tyrannidi, auaritiæ, rapacitati, &c. Deus horribiliter punit, & funditus euerit. Regnum Israël & Iuda, & Principes ac ciuitates regni, deditæ sunt idolatriæ, iniusticiæ, rapacitati & alijs sceleribus. Ergo Deus certò regnum Israël & Iuda & ipsam vrbe*Ierosolymam* horribiliter puniet & funditus euerteret. Hanc conclusionem in fine tertij capitum ponit. Propter vos Sion quasi ager arbitur, & Hierusalem in aceruum lapidum erit, & mons Templi in excelsa syluarum. Ut enim in primo capite, Micheas, excidium Samariæ, metropolis regni Israël, ita in fine tertij capitum, velut *ταχιφαλαιώσει* repetens propositionem: vrbis Hierosolymæ, & Arcis regum Iuda, sitæ in monte Sion, ad meridionalem vrbis Hierosolymæ partem: & templi, quod in monte Moria vmbilicum vrbis tenente Salomon ædificauerat, euersionem & *ταραλεθέριαν* prædicti. Eiusdem igitur argumenti est hoc tertium caput, cum primo & 2. capite, pertinens ad doctrinam legis arguentis peccata, & ad verum timorem Dei ac poenitentiam serio agendum homines exuscitantis. sicut hac ipsa Micheæ concione audita, rex Ezechias, & omnis Iuda, timuerunt Dominum, & deprecati sunt faciem eius, & auersionem excidij Hierosolymæ suo tempore impetrarunt. Nam hunc ipsum locum communem & fructum præsentis concionis Micheæ, Ieremias indicat cap. 26.

DE PRINCIPVM PEC- catis arguendis.

Nec verò miseræ & indoctæ plebeculæ peccata tantummodo taxat Micheas, sicut plerumque Principes & sapientes volunt perhiberi iusti & p̄i: & non se, verū rusticos solummodo aut plebem aut alios, quos oderunt, reprehendi ferunt. Sed Micheas, magistratum imprimis, ac doctorum impietatem, tyrannidem, auariciam, & alia peccata accusat & damnat, quæ & maiora sunt ac *conspicitora*, quām vulgi errata, & scandalo plurimum nocent. Nam exempla principum alij inferiores magistratus & multi in populo imitantur: sicut Claudio*nus* inquit: Scilicet in vulgus manant exempla regentum. Vtque ducum lituos sic mores castra sequuntur. Cicero. Perniciose merentur de Republica viciosi Principes, quod non solum vicia concipiunt ipsi, sed etiam infundunt in ciuitatem: neque solum obsunt, quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt: plusq; exemplo quām peccato nocent. Quod autem obijciunt homines prophani. Reprehensiones impiorum Principum & aliorum potentum, non modò inutiliter & frustra suscipi, verū etiam ipsis doctoribus & ecclesiæ, quæ voce suorum doctorum & puritate doctrinæ ea occasione priuatur, perniciofas, ideoq; omittendas esse. Frustra enim niti, vt Salustius ait, nec quidquam aliud fatigando se nisi odia hominum & infamiam querere, extremæ dementiæ est. Respondeo: Cum ministris verbi diuini leue fulnic à Dño mandatum sit, vt peccata Principū & populi sua voce arguant;

Esa. 58;

Esa. 58. Ezech. 3. 33. Iohan. 16. 1. Timothi. 4. necesse est concionatores hoc præceptum diuinum omnibus rebus humanis anteferre & Deo obedi-
re, etiamsi nullum laborum suorum fructum ipsi cernant. Deinde non pla-
ne inutili & perniciosa contentione franguntur ministri. Nam & verbum
Dei non redit ad Deum vacuum, Ideo semper aliqui emendantur, vt Da-
uid accusatus voce Nathanis, Nabuchodonosor voce Danielis, Theodosius
voce Ambrosij ad poenitentiam reducuntur: & quanquam plerique prin-
cipes contemnunt verbi diuini minas, tamen auditores aliqui magnitudi-
nem peccati agnoscentes, non imitantur exempla principum. Ipsi etiam
Pastoribus vtile est liberare animas suas ab æternis pœnis, quibus obnoxii
sunt, qui ad peccata impiorum connivunt. Ezech. 3. 33. Sanguinem eius de-
manu tua requiram. Et principes eam quoque ob causam argui vult Deus,
ne excusatione ignorantiae vti possint in die Iudicij. Iohan. 15. Si non ve-
nisssem & dixissem, peccatum non haberent. Quare passim Prophetæ,
Principum & magistratum, tam ecclesiasticorum, quam politicorum, pec-
cata seuerè arguunt, vt capite ecclesiæ & Reipublicæ sanato, facilius reliquo
corpori medicina possit adhiberi. Ose. 5. Audite hoc Sacerdotes, & do-
mus regis auscultate. Ezechiel. 22. Ecce Principes Israëlis singuli pro vin-
ili sua fuerunt in te ad effundendum sanguinem, patrem & matrem contu-
meljs affecerunt, &c. Principes in medio eius quasi lupi rapientes pra-
dam, ad effundendum sanguinem & ad perdendas animas & auarè sectanda
lucra. Esa. 1. Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt mu-
nera, sequuntur retributions, Pupillo ius non reddit, & caruæ videræ
non ingreditur ad illos. Esa. 5. Væ vobis, qui iustificatis impium pro
muneribus, & iusticiam iusti aufertis ab eo. Propter hoc, sicut deuorat flamo-
lam flamma ignis, sic optimates eorum, quasi fauilla erunt, & subditi co-
rum, vt puluis ascendent, abiecerunt enim Legem D O M I N I . Extin-
cum locorum collatione præsens Micheæ concio illustretur, & in conspectu
sunt definitiones bonorum & malorum Principum.

BONI PRINCIPES sunt gubernatores à Deo constituti, qui
SCIUNT IUDICIVM, norunt & amant ac custodiunt ius seu legem Dei,
actuentur iusticiam: & iuxta legem seu ius Dei, regunt subditorum mores,
& bonos ac innocentes defendunt & amant, non opprimunt aut expilant:
malos verò ac sceleratos oderunt ac puniunt. Hæc descriptio ex verbis Mi-
cheæ sumpta est, An non vestrum est scire iudicium, id est, nosse & amare &
tueri ius & iusticiam. Et congruit cum Pauli definitione Rom. 13. Magistrus
non sunt timori bonis operibus. Vis autem non timere potestatem,
Quod bonum est facito, & feres laudem ab illa, Dei enim minister est, ubi
in bonum. Quod si feceris id quod malum est, time, non enim frustaglio-
dium gestat. Nam Dei minister est, vltor ad iram ei, qui quod malum est
fecerit. MALI PRINCIPES seu TYRANNI sunt, Qui ius scule-
gem Dei, quam vult Deus gubernationis totius regulam esse, vel non no-
runt, vel pervertunt & abominantur: & odio habentes bonum seu iusticiam,
non modo iusta & necessaria munera sui officia, vt defensionem disciplinae
& pacis, & iudiciorum administrationem, prætermittunt: verum etiam in-
dulgent omnibus iniustis cupiditatibus, crudelitati, auaricie, rapacitati, &
pro libidine in subditorum corpora, facultates & bona grassantur, vt hic in-
quit Micheas. Abominamini iudicium & omnia recta pervertitis, & difica-
tis Sion in sanguinibus. Præcipue autem immensam illam & inexple-
bilem

bilem Principum *Bλpias*, & crudelem rapacitatem exaggerat Hyperbola, & similitudine sumta à venatoribus & coquis, qui feris aut pecoribus pelles detrahunt, & ossa nudant, & carnes ac ossa concisa in lebtem aut a-henum elixanda coniiciunt. q. d. *Ihr schindet die armen Leut bisz auff den grad / vnd fresset ihr mark vnd bein.* Eadem Metaphora usus est Tiberius Imp.scribens ad præsidem prouincia: Boni Pastoris est, tondere pecus, non deglubere.

Tristissima vero comminatio principibus & alijs contemnentibus Iudicium Dei, proposita est in his verbis. *Tunc clamabunt ad DOMINVM & non exaudiet eos:* quæ simplicissime intelligo, iuxta dictum Ose. 5. Cum gregibus & armentis suis vadent ad querendum DOMINVM & non inuenient, Subduxit enim se ab eis. Nam Hypocritæ, in ærumnis & calamitatibus, fiducia suorum operum & sacrificiorum petentes à Deo liberacionem, non exaudiuntur. quia ijs tantum promissa est exauditio, qui vera fide seu fiducia Christi Mediatoris ad Deum accedunt & verbo Dei obediunt, sicut Iohan. 15. dicitur: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis, petetis: & fiet vobis.* Huic testimonio, Lutheri explicatiunculam memoria dignam studiosi adiungant. Das ist vnd heist ja eine grosse Herrlichkeit vnd Freyheit / das wir getrost vnd künlich zu Gott beten mögen / vnd sol alles gewiſlich erhöret sein. Wo wir zuvor auch ihn vnd sein wort hören / vnd dabey bleiben. Und ist fürwar ein schöner Wechsel/ Höreſt mich / so höre ich dich / Hörestu aber mich nicht / so höre ich dich wieder nicht/ Eins vmbs ander/wie du wilt. Wie vnselig sind nu die Feinde oder reicher des worts Gottes/ die haben keinen Gott / vnd ob sie gleich viel beten / so höret ers doch nicht / Psal. 18. Sie ruffen / aber da ist kein helffer / Zum HENN / aber er höret nicht. Quod si de vera piorum inuocatione haec verba (*Tunc clamabunt ad DOMINVM, & non exaudiet eos*) intelligas: sciendum est, immensa Dei bonitate differri poenas, & ad pœnitentiam homines inuitari, Qui cùm se emendant & à Deo remissionem petunt, Deus certò eos exaudit, & saepè etiam corporales poenas auertit, vt Hier. 26. dicitur. Hæc dicit Dominus: Sta in atrio domus Domini & loqueris ad omnes ciuitates Iuda, de quibus veniunt, vt adorent in domo Domini, vniuersos sermones quos ego mandaui tibi, vt loquaris ad eos: noli subtrahere verbum: Si forte audiant & conuertantur vnuſquisq; à via strama: & pœnitentia malis, quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum, & dices ad eos. Hæc dicit Dominus: Si non audieritis me, vt ambuletis in lege mea, quam dedi vobis, vt audiatis sermones seruorum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens, & dirigens, & non audiuitis, dabo domum istam sicut Silo, & urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ. Sed cùm homines admoniti non agunt pœnitentiam & peccata cumulant, sequuntur pœnae diuiores. Hæc, quanquam antea auerti vera pœnitentia & inuocatione potuerint, tamen cum iam obruerunt fontes, non mox tolli precatione possunt. Sed tamen omnibus temporibus, verè inuocantibus, mitigantur pœnae temporales & remittuntur æternæ, sicut latroni in cruce, Davidi in exilio, Manassæ in carcere, & alijs, etiam corporales pœnae lenitæ sunt. Et scilicet, quibus exercitia inuocationis nota sunt, non aliter liberationes ex periculis corporalibus peti & expectari debere, quam cum quatuor conditionibus, quas proximo secundo capite exposuimus.

SECVNDA PARS CAPITIS.

Hæc dicit D O M I N V S Deus contra Prophetas.

Collatio prophetarum seu doctorum piorum & impiorum insignis hoc loco consideretur. **B O N V S P R O P H E T A S E V F I D E L I S** Doctor & minister verbi Dei est persona à Deo vocata, quæ recte intelligit & diligenter facit officia sui munera propria: fideliter docet auditores veram de omnibus fidei articulis doctrinam in verbo Dei traditam, & voce legis impietatem & scelera principum, sacerdotum & populi leuè arguit, ut vera pœnitentia ad Deum conuertantur: & consolatione Euangeli de Christo corda perterrefacta recreat, & ad fructus pœnitentia dignos & obedientiam voluntati & verbo Dei præstandam, conuersos hortatur. Nec metu periculorum vel ignavia, vel cupiditate pecuniae a gloriae frangitur, ut vel doctrinam corrumpat, vel ad peccata & scelera impiorum conniveat, vel ministerium planè deserat. **M A L I E T I M P I I P R O P H E T A E** seu lupi ouina tecti, sunt, qui prætextu verbi diuini & sub specie religionis & sanctitatis eximiæ, populum seducunt, & vel ambitione, vel metu periculorum, vel quæstus causa, veritatem diuinam corrypunt, aut dissimulant & tacent, & ad peccata & scelera potentum connuent, sicut apud Ezechielem, Deus queritur se propter pugillum hordei & fragmen panis apud populum suum violari. Hæ Psuedoprophetarum seu impiorum Doctorum descriptiones: & seuerissima Dei mandata, quibus eos vitare & fugere iubemur, passim apud Prophetas repetuntur, ac præcipui loci sunt, Ezechiel. 13. 20. 22. 34. Ierem. 27. 28. Ose. 4. 5. Item, Matth. 7. Act. 20. 1. Timoth. 4. 2. Pet. 2. Deut. 13. Ezech. 13. Hæc dicit D O M I N V S Deus ad Prophetas Israël. Quia locutus est vana, & vidistis mendacium, &c. Væ qui consuunt puluillo sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite ad capiendas animas. Et cum ceperint animas populi mei, viuiscabant animas eorum, & violabant mentem populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuiscarent animas, quæ non viuunt, mentientes populo meo, credentes mendacijs. Ezech. 34. Hæc dicit D O M I N V S Deus. Væ Pastoribus Israël qui pascebant semetiplos. Nonne greges à Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebanti: & quod crassum erat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Ierem. 27. Vos ergo nolite audire Prophetas vestros, & diuinos, & somniatores, & augures, & maleficos, qui dicunt vobis: Non seruens regi Babylonis, quia mendacium prophetant vobis, ut longe faciant vos de terra vestra, & ejiciant vos, & pereatis: Ose. 4. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi, &c. Peccata populi mei comedunt, & iniuriant eorum delectantur, & erit sicut populus sic Sacerdos. Matth. 7. Cauete à Psuedoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces, Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Acto. 20. Attendite vobis ipsis & gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, ut pascatis Ecclesiam Dei, quam proprio sanguine suo redemit. Scio enim, quod post discessum meum irrepenit ad vos lupi

vos lupi rapaces, qui non parcent gregi. 2. Petri 2. Erant autem falsi prophetæ in populo, sicut & inter vos falsi Doctores erunt, &c. Ex horum testimoniorum collatione, præsens Micheæ concio illustretur.

Quod ad phrasēs obscuriores attinet: verba illa (*Qui mordent dentibus suis & predicant pacem*) simpliciter intelligo, sicut illud Ose. 4. Deuorant peccata populi mei (victimas seu pecudes & alia sacrificia pro peccatis oblatæ) & delestantur iniquitate eorum. Et erit sicut populus sic Sacerdos. Jerem. 8. Omnes auaritiam sequuntur à Prophetā vñq; ad Sacerdotem. & sanabunt contritiones filiæ populi mei dicētes, Pax, Pax, cum non esset pax. Ezech. 13. Deceperunt populum meum dicentes, Pax, pax, & non est pax, & ipse ædificabat parietem, illi autem linebant cum luto absque paleis, id est, vñus propheta præcinit & proponit populo falsam prædictionem de pace & omnibus bonis. Alter subsequitur & comprobat vocem prioris & omnia fausta populo pollicetur. Sed hæc promissa omnia inania & vana sunt. Alij sic accipiunt. Mordent dentibus suis i.e. sunt lupi rapaces, sicut Christus loquitur, qui non modò bona & fortunas, sed multò magis animas oviū suarum lacerant. *Sanctificant super eum bellum* / Visitata Ebrea lingua phrasis est, sanctificare bellum, suscipere & gerere bellum certis ritibus & ceremonijs ac solennitatibus, quæ Deut. 20. describuntur. *Nox vobis pro visione erit* / Sequentia quatuor cola, eandem sententiam mutatis verbis per expolationem repetunt & metaphoris illustrant. Quæ docent, pœnam Pseudoprophetarum fore Cœcitatem errantem in doctrina, in prædictionibus, consilijs & actionibus omnibus, & tristissimas calamitates & miseras, Quas scriptura appellatione Tenebrarum, noctis, occasus solis, & Eclipsibus solis ac Lunæ passim pingit, vt Esa. 5. Aspeximus in terram & ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata est in caligine eius. Esa. 13. Obtenebratus est Sol in ortu suo & Luna non splendebit lumine suo. Jerem. 15. Occidit ei Sol cum adhuc dies esset. Matth. 24. Statim post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum. *Et confundentur videntes, & operient labia sua.* Altera pœna Pseudoprophetarum erit confusio & ignominia extrema. Nam vastata Samaria & decem tribubus abductis, non audebunt præ pudore amplius in conspectum hominum venire, aut os aperire, vel labia sua mouere, qui ante omnes clamoribus suis obtundebant. Hac ignominia afficientur, quæ non est responsum seu verbum Dei, quod docent & promittunt. Jerem. 8. Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus, & lex D O M I N I nobiscum est? vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes, perterriti & capti sunt. Verbum enim D O M I N I proiecerunt, & sapientia nulla est in eis. *Sacerdotes eius propter mercedem docebant.* Iure diuino debentur Sacerdotibus & ministris docentibus stipendia seu mercedes certæ, sicut Paulus 1. Corinth. 9. disertè inquit. Sic Dominus ordinatur, vt qui euangelion annunciant, ex euangelio viuant. & Christus inquit, dignus est operarius mercede sua. Et in lege, primogenita & decimæ & carnes victimarum, alendis sacerdotibus destinatæ erant. Non igitur propter ea accusat Micheas sacerdotes, quod mercedem iustam accipiant, sed quod propter mercedem doceant, & auari sint, & in ministerio suo principaliter spectent lacrum & mercedem: & quæstus causa veritatem corruptant, & auditoribus grata & placentia diuinent. De his verè usurpari versus Sophoclis potest, Φιλάργυρον δὲ παῖδα τὸ ματέων γένεται. Super Dominum requiescebant.

cebant, dicentes, Nónne Dominus in medio nostrum? Non vénient super nos mala? Planè congruit cùm concione Ierem. 7. Soletis furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baal, & venitis & statim coram me in domo hac, quæ vocatur à nomine meo, & dicitis, liberi sumus, etiam si fecerimus omnes abominationes istas. Nunquid ergo spelunca latronum facta est domus ista? Bonas facite vias vestras & studia vestra, tunc habitabo vobiscum in domo ista. Prorsus eodem modo nostris etiam temporibus argumentari solemus. Nos sumus ecclesia Dei, sumus euangelici. Ergo non vénient super nos mala: etiam si sumus securi & prophani potatores, impudici, raptores, superbi, indulgentes omnibus cupiditatibus & flagitijs. Ideo hanc impiam securitatem nomine euangelij & ecclesiae Dei tecum tantò seuerius & atrocius puniet Deus, regnum & urbium ~~transire~~, ut hic in fine capituli inquit, Propter vos Sion quasi ager arabitur, & campi erunt ubi Hierosolyma fuit.

Caput III.

Et erit in nouissimis diebus, Erit mons domus Domini stabilitus in capite montium, & eleuabitur supra colles, & confluent ad eum populi. Et ibunt gentes multæ, & dicent. Venite & ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Jacob. Et docebit nos de vijs suis, & ambulabimus in semitis eius: Quia de SION egredietur Lex & verbum Domini de Ierusalem. Et iudicabit inter populos multos, & arguet gentes fortes, vsq; in longinquum. Et concident gladios suos in vomeres & hastas suas in falces. Non leuabunt Gens aduersus gentem gladium, & non discent amplius belligerare. Et sedebunt Vir sub vite sua, & sub ficusu: & non erit terrorem eis incutiens, quia os Domini exercituum locutum est. Quia omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine Dei sui. Nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum & ultra. In die illa, dicit Dominus, Congregabo claudicantem, & eieciam colligam, & quam adflicxi. Et ponam claudicantem in reliquias: & procul expulsam, in gentem fortem. Et regnabit Dominus super eos in monte Zion a nunc & vsq; in æternum. Et tu Turris EDER, arx filia Zion: Decus tuum veniet: & veniet potestas prima, regnum

gnum filiae Ierusalem. Nunc quare vociferaris vociferatione. Nunquid Rex tuus non est tecum? num Consiliarius tuus perijt? quia comprehendit te dolor sicut parturientem. Dole & emitte filia ZION sicut parturiens. Quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in campo & venies usque ad Babylonem. Ibi liberaberis, ibi redimet te DOMINVS de manu inimicorum tuorum. Et nunc congregatae sunt aduersus te gentes multae, dicentes, contaminata est: & aspicit in Zion oculus noster. Sed ipsi non cognoverunt cogitationes DOMINI, & non intellexerunt consilium eius, Quia congregauit eos sicut manipulos in aream. Surge & tritura filia Zion, Quia cornu tuum ponam ferreum & vngulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos. Et anathemizabo DOMINO opes corum, & diuitias eorum Domino uniuersæ terræ.

Caput quartum & quintum Micheæ, est CONCIO EVANGELII & insignis Prophetia DE REGNO CHRISTI in monte Sion seu Politia Iudaica (post euersionem superiori capite prædictam rursum instaurata) postremis temporibus inchoando, & inde in totum terrarum orbem propagando. Complectitur autem appellatio REGNI CHRISTI, primum personam regis Christi veri Dei & hominis. II. Ecclesiam ex Iudeis & gentibus collectam, quæ Christo regi subdita est ac obedit. III. Prædicationem euangelij seu verbi Dei, per quod ecclesia colligitur & regitur. IIII. Officium Christi regis, quod est non gerere bellum armis corporalibus, sed docere euangelium, & redimere ac liberare ecclesiam a peccato & morte, & regere eam verbo & spiritu sancto & defendere aduersus diabulos & ornare vita & gloria æterna. V. Beneficia omnia, quæ Christus rex per euangelion ecclesiæ suæ in hac vita impertit, videlicet vera agnitus & inuocatio Dei, remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, arrabo spiritus sancti, consolatio & pax conscientiæ in omnibus ærumnis, denique hæreditas vitæ æternæ. VI. Officia ecclesiæ vicissim Christo regi præstanda. VII. Defensionem ecclesiæ aduersus diabulos & tyrannos, & poenas hostium ecclesiæ horrendas. VIII. Consummationem omnium beneficiorum Christi in vita æterna, integrum & perfectam liberationem ab omni peccato & morte, & nouam ac perpetuam lucem, iusticiam, vitam, læticiam & gloriam, qua Christus ecclesiam suam in cœlis in omni æternitate ornabit. Cūm hoc modo euoluuntur partes seu loci doctrinæ de REGNO CHRISTI, qui totius Euangelij summam complectuntur: tūm facilius intelligi potest amplitudo rerum, quas vocabulum regni Christi comprehendit. Quare ad eosdē locos referemus præcipua testimonia concionis Micheæ præsentis: Quam planè ijsdē verbis & syllabis fere ab Esaia propheta cap. 2. descriptam legimus. Ita non modò τὰ αὐλαὶ περὶ τοῦτον, verum etiā τοῖς αὐτοῖς πρόμακροι dicere & scribere prophetæ voluerunt.

LOCI DOCTRINAE IN QVARTO
ET QVINTO CAPITE MICHEAE
P R A E C I P V I .

- I. De Tempore & loco regni Christi in his terris inchoati, & simul de causis, cur Politia Iudaica diuinitus constituta & euersa sit.
- II. De Persona Christi regis.
- III. De Ecclesia Iudeorum & Gentium ipsi subdita.
- IV. De officio & Beneficijs Christi, que in ecclesiam confert.
- V. De Doctrina Christi Propria, & discrimine inter Legem & Euangelium.
- VI. De Cultibus seu officijs, que ecclesia suo Regi vicissim praestare debet.
- VII. De miranda ecclesiae CRVCI subiectae defensione, & pennis hostium regni Christi.
- VIII. Discrimen regni Christi & regnorum mundi. De his VIII. locis, ad quos omnes Prophetarum & Apostolorum de regno Christi con- ciones referri non incommodè possunt, breues commonefactiones ordi- ne recitabo.

Nitiō TEMPVS ET LOCVM REGNI CHRISTI indicat Micheas, cùm inquit, nouissimis politiae Iudaicæ temporibus, Christum Dominum in monte Sion regnaturum esse, & ex monte domus DOMINI, & in monte Sion, verbum euangelij, & REGNUM CHRISTI, in totum terrarum orbem propagatum iri. In quinto capite etiam diserte prædicit regem Israëlis in oppido Iudææ Bethlehem nasciturum esse. Fuit autem tota Politia Iudaica, eam præcipue ob causam, anno mundi 2453. à Deo per Moysen constituta, & deinceps 1500. annis mirabiliter conferuata, vt esset certa sedes ecclesiae, in qua vera de DEO & promissio semine Domino nostro Iesu Christo doctrina conseruaretur, & in alias na- tiones spargeretur. Deinde vt certò sciri posset ecclesia, vbi & in qua parte orbis terrarum, seu in qua gente & vrbe, promissus Messias expectari & queri deberet, vbi Christum nasci, docere, miracula edere, pati pro gene- re humano & mori, & ex morte resuscitari, & regnum suum prædicatione euangelij inchoare oporteret. Tantisper igitur durauit hæc politia, & cum per Babylonios arx Sion & vrbs Ierosolyma, iuxta prædicationem Micheæ, proximo præcedenti capite positam, funditus euersa esset: rursus in- staurata & defensa est, donec Christus promissus in Bethlehem nascetur, & regnum suum in monte domus seu templi DOMINI in vrbe Ierosolyma inchoaret. Statim vero post resuscitatum Christum anno 40. funditus iterum deleta est, & iam continuos 1500. annos extincta iacuit, non tan- tum ut illæstre & euidens Testimonium horrendæ iræ Dei aduersus omnes, qui Christum contemnunt & contumelia afficiunt, extaret: verum etiam ut certò conuinceremur, Christum patribus promissum iam exhibutum esse, & frustra aliud Messiam expectari. Oportuit enim nasci & docere Christum ac victimam fieri stante politia Iudaica, sicut Daniel cap. 9. & Haggæus & Micheas cap. 5. & ante hos, Iacob, Genes. 49. prædixerat. Deinde testatur hæc Politia deletio, ceremonias & forenses leges Moyisi, quæ tan- tum propter illam politiam traditæ erant, extincta politia, non amplius obseruatu necessarias esse. Postrem ostendit Messiam non missum esse ut regnum Politicum in Iudæa instauraret, sed ut spiritualia & æterna bona eccle-

ecclésiæ per doctrinam euangelij seu verbum D o m i n i ex monte Sion & vrbe Ierosolyma egressum imperiret. Quare ipsa loci mentione, in quo regnum Christi primò inchoatum est, Micheas, certam velut regulam & anūssim iudicandi de omnibus doctrinis & religionibus simul tradidit, vt sciamus nullam doctrinam de Deo, seu nullam religionem, posteriorem & pugnantem cum ea, quæ ex monte Sion in totum terrarum orbem exiuit, veram & diuinam esse. sicut Alcoranus Mahometi & pleraque dogmata & cultus Pontificij non cœperunt in monte Sion, sed à verbo euangelij ex monte Sion propagato prorsus dissentient. De his tantis rebus admonet nos notatio loci, in quo exordia regni Christi futura esse, Micheas in hac concione prædict. Itaque & Dauidem in Psalmis aliquoties hanc sedem regni Christi & normam veræ de' Deo doctrinæ, ijsdem fere cum Michea verbis, expressissime videinus. Psalm. 2. Ego constitui regem meum super Sion montem sanctum meum. Psalm. 110. Sceptrum regni tui emitte Dominus ex Sion. Etsi autem mons dōmus D o m i n i .i. mons Moria, in quo templum seu domum D o m i n i Salomon ædificauit 2. Paralip. 3. & mons Sion cui arx Dauidis & aula regum Iuda imposita fuit: in ipsa vrbe Ierosolymorum loca corporalia fuerunt, in quibus regnum suum Christus primum inchoauit: tamen ut regnum Christi spirituale est: ita etiam horum locorum appellationes & magnificæ promissiones de stabilitate & eminētia montis Sion, nō de corporalibus, sed spiritualibus & æternis bonis simul intelligantur. Vbicunq; enim in terrarum orbe verbum euangeli de Christo sonat, & Deus recte agnoscitur & colitur, ibi est mons Domus D o m i n i seu mons Zion. h. vera ecclésia Christi, in qua Deus habitat & efficiat ad æternam salutem. sicut sèpissime in sacra Icriptura, mons, pro regno eminente, seu cœtu hominum frequente & firme, usurpatur.

D E P E R S O N A C H R I S T I R E G I S, qui non tantum homo erit, simili Dauidi in Bethlehem nato, vel Cyro aut Alexandro magno, nec tantum Angelus erit, verum etiam D o m i n u s seu Iehoua, verè & natura Deus omnipotens & æternus. Erunt igitur in hoc rege Christo, duæ naturæ, diuina & humana, personali vnione inter se copulatae & vnitæ, sicut de diuina natura exprestè dicitur, regnabit I e h o v a super eos in monte Sion, ex hoc nunc & usque in æternum & cap. 5. inquit: Egressus eius ab initio à diebus æternitatis, q. d. non tunc primum esse incipiet Messias, cùm in oppido Bethlehem, post annos 700. nascetur, sed fuit ab initio mundi ab omni æternitate, sicut in Iehanne dicitur: In principio erat λόγος. &, Antequam Abraham esset, ego sum. Pueri hoc in loco qualcuncunque definitionem complectentem summam doctrinæ de Christo meminerint. **I e s u s C h r i s t u s** noster Mediator, Redemptor, Rex & Sacerdos xtemus, est persona, in qua duæ naturæ, diuina consubstantialis & coæterna Deo patri æterno, & humana ex substantia Mariae virginis assumpta, indissolubili foedere vnite sunt. Quæ persona, immediate à Deo patre ordinata est, vt per prædicationem euangeli, à se ex sinu patris prolati, & ex monte Sion, per Apostolos in totum orbem sparxi, colligat sibi ex genere humano æternam ecclésiam: & sua intercessione, merito, ac efficacia, remissionem peccatorum & æternam salutem impetrat & per ministerium verbi & sacramentorum impertiat, & donet ecclésiæ, quam in hac vita, verbo & spiritu sancto regit, & pressam cruce aduersus omnes hostes defendit, & tandem ex morte resuscitatam ornabit vita & gloria æterna.

De E C C L E S I A Christo regi subdita , quæ est optima & præstantissima pars generis humani , electa ex cunctis populis , Iudeis & gentibus , quæ euangelion Christi , ex monte Sion propagatum , audit , discit , fide amplectitur , & velut regulam & normam consiliorum & actionum in omni vita sequitur : in qua (ecclesia) Deus ipse habitat & efficax est : cique à peccato & morte liberatæ , suam sapientiam , iusticiam , pacem & tranquilitatem conscientiæ , & veram læticiam & vitam in omni æternitate imperit . Huius Definitionis præcipua membra ex præsenti Micheæ concione coagmentata sunt . Nam m o n s domus Domini , & mons Zion stabilitus in capite montium , & eleuatus super colles , nihil aliud in hac Micheæ concione , & passim in prophetis significat , quām ecclesiam seu regnum Christi : sumpta metaphora & imagine à montibus supra reliquam planitiem eminentibus & conspicuis , & præcipue à duobus montibus Hierosolyma , quorum alteri Moriah nomen fuit , supra quem domus Domini seu templum à Salomone ædificatum erat . Alter Sion , specula vocabatur , cui in meridionali vrbis parte sito , arx seu domus Dauidis & sequentium regum Iudaicorum imposita erat . et passim in Prophetis montes & colles significant populos seu regna eminentia & illustria : & in his principes ac Sacerdotes , qui ratione officij & autoritate ac potentia super reliquam multitudinem excellunt , vt Psalm . 67 . Ecclesia nominatur mons Dei , mons pinguis . i. populus Dei abundans omnibus spiritus sancti donis , & supra capite primo , Dominus calcabit excelsa terræ & liquefient montes sub eo . i. regnum & sacerdotium & principes ac sacerdotes delebuntur , & infra cap . 6 . Contende iudicio aduersus montes , & colles audiant vocem tuam . Id postea explicat Dominus . Iudicio contendet cum populo suo & Israël arguet . Cūm igitur ecclesia sit optima & præstantissima pars generis humani seu peculium Dei , & omnibus populis ac regnis vera & ipsi-rituali ac æterna gloria & stabilitate antecellens : comparatur à Propheti monti stabili , & eminenti supra omnes reliquos montes , scilicet reliquos populos & regna , & quidem monti domus D O M I N I , seu templi , in quo Deus ipse habitat , sicut & Paulus describit ecclesiam Dei , 1. Timoth . 3 . Ecclesia Dei est domus Dei , columna & sedes veritatis . Ephes . 2 . Estis coniuges sanctorum & domestici Dei extructi super fundamentum Prophetarum & Apostolorum (super doctrinam traditam per Prophetas & Apostolos) existente lapide angulari Iesu Christo , in quo omne ædificium coagmatur crescit in templum sanctum per Dominum , in quo & vos coedificabimini per spiritum sanctum in habitaculum Dei . Iohan . 14 . Si quis diligit me , sermonem meum seruabit , & pater meus diligit eum , & ad eum venimus , & mansionem apud eum faciemus . Coloss . 3 .

Quod autem ecclesia seu populus Deo placens & hæres vitæ æternæ , ex cunctis populis , Iudeis & G E N T I E V S colligatur : diserte indicat Micheas , cum inquit , confluent ad eum populi & ibunt gentes multæ , iuxta promissionem traditam Abrahæ , Genes . 22 . In semine tuo benedicentes omnes gentes . Psalm . 72 . Omnes gentes seruient ei . Esa . 11 . In die illarum radix Iesu stabit in signum populorum : ipsum gentes deprecabuntur . Esa . 49 . Dedi te in lucem gentium , vt sis salus mea usque ad extremum terræ . Talii testimoniorum de gentibus quoque ad Christi agnitionem & veræ ecclesie societatem vocandis , totus Esaias plenus est , quæ ad præsentem Micheæ concionem illustrandam adiungantur . Qui magna frequentia & celeri cur-
su po-

in populos & gentes, non vi aut legibus coactas, sed sua sponte ad Christum confluxuras esse prædictit: sicut antea ex omnibus Iudææ locis ad templum & urbem Hierosolymam quotannis confluerebant. Semper autem cum de vocatione gentium dicitur, hæc quatuor doctrinæ capita studiosi considerent. PRIMO, De immensa bonitate & amplitudine misericordiæ diuinæ, eligentis sibi propter filij intercessionem, ex hac misera & fragili generis humani masla ecclesiam æternam, quæ sit hæreditas Dei, cui suam sapientiam, iusticiam & vitam in omni aeternitate impertiat. Psalm. 2. Postula a me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ. SECUNDO, Docet vocatio gentium, D E V M non esse προσωπαληγόντες, sed àqualem erga omnes Iudæos & gentes, iuxta vnam normam in euangelio patefactam. & in omni gente, qui timet eum, & operatur iusticiam, acceptum esse ei, sicut Petrus inchoata gentium vocatione à Cornelio Centurione, Acto. 10. loquitur. TERTIO, Docet, remissionem peccatorum & vitam aeternam propter Christum promissam, non propter dignitatem propriarum virtutum aut operum bonorum, quæ in gentibus ignaris Dei & omni idolomania & omni spurcitie pollutis nulla fuerunt: sed à GRATIS donari credentibus. Rom. 4. Ideo ex fide gratis, ut firma sit promissio omni semini, non illi, quod est ex lege, hoc est, Iudæis tantum, sed etiam illi, quod est ex fide Abraham, hoc est, credentibus promissi traditæ Abraham, qui est pater omnium nostrum, sicut scriptum est, Patrem multarum gentium constitui te. ACTO. 10. Christo omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum per eum accipere omnem, qui credit in eum. QUARTO, Docet, regnum Christi non fore instaurationem politiæ Mosaicæ: & observationem rituum Mosaicorum ac sacrificiorum, quæ ad vnum locum urbis Ierosolymæ alligata erant, cessa turam & penitus abolendam esse. Malach. 1. In omni loco sacrificabitur & offeretur nomini meo oblatio munda. Quia magnum est nomen meum in gentibus. Reliquæ definitionis ecclesiæ partes in sequentibus locis declarabuntur.

De officio & beneficijs Christi, que ecclesia impertit.

Comprehenduntur visitatè Officia Christi hisce epithetis, Pastor, Sacerdos, Mediator, Redemptor, Rex, Saluator. Quæ ita pueriliter distribui possunt, vt primum sit D O C E R E seu doctrinam Legis & Euangelij, ex arcane sinu patris prolati, patefacere generi humano, & in Ministerio publico inde vsq; ab initio ecclesiæ enarrare & illustrare, sicut ideo nominatur *Evangelista*, quia est Doctor seu prædicator euangelij, vt hinc inquit Micheas: Docebit nos de vijs suis, de vera Dei & filij eius agnitione & inuocatione, & de reconciliatione cum Deo propter filium, & veris cultibus seu obedi entia præstanda iuxta eius verbum, Psal. 2. Ego constitui regem, super Sion montem sanctum eius. Respondet filius: Prædicabo de præcepto, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Etsi autem præcipua & propria Christi doctrina est euangelion, tamen legis etiam voce in suo ministerio & prædicatione vtitur, & iudicat ac corripit peccata hominum, Iudeorum & gentium, sicut inquit Micheas: Indicabit inter populos multos & corripit populos fortes. Iohan. 10. Spiritus sanctus argueret mandum de peccato. 2. Intercedere inter Deum & homines, & de precari

precari pro genere humano in peccatum & mortem lapsō : & sua intercessione patrem placare. Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Iohan. 17. Ego pro eis oro. Oro autem non pro eis tantum, sed & pro omnibus credituris per verbum eorum in me. 3. Assumpta humana natura fieri victimam pro genere humano, & sua passione ac morte iustissimam iram Dei placare & pœnam sufficientem iusticiæ Dei à genere humano debitam persoluere atq; ita redimere ac liberare ecclesiam à peccato, ira Dei, maledictione Legis, tyrannide Diaboli & æterna damnatione. 4. Divina potentia & efficacia per ministerium euangelij & sacramentorum beneficia suo sanguine parta ecclesiæ impertire & applicare. 5. Defendere ecclesiam aduersus diabolos, tyrannos, hæreticos, & alios hostes. 6. Salutem seu vitam & gloriam æternam ecclesiæ ex morte resuscitatæ impertire. Ex hac commemoratione apparet, Christum non fore politicum regem, qui armis corporalibus, gladijs & exercitibus, regnum suum constituat & defendat: sicut diserte indicat Micheas, Concedit gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones. Non geret gens aduersus gentem gladium, & non discerit ultra belligerare. Itaq; & Beneficia Christi non erunt corporalia & politica, non potentia & imperium mundanum, non pax corporalis (non enim veniet mittere pacem in terram, sed gladium) non abundantia & vitalitas annonæ, frumenti, vini & aliarum rerum ad victimum pertinentium: sed erunt spiritualia & æterna beneficia, videlicet lux verae doctrinæ, vera Dei agnitus & inuocatio, remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, iustitia & pax & gaudium conscientiæ in Deo propter Christum propitio aduentientis, & sapientia ac bonitate Dei fruentis, nec ullos terrores aut penitula expauescentis, de qua dicitur Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. Hanc pacem & tranquillitatem conscientiæ describit Micheas allegoria seu imagine summa ex vaticinio Iacob, Genes. 49. Veniet Siloh (filius virginis) Ipsum gentes audient. Ligabit ad vineam pullum suum & ad vitem asinam suam, &c. Hac imaginem ipse Christus, Iohan. 15. interpretatur. Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est. Ad hanc vitem seu ad seipsum alligat nos Christus, & nos sub ea sedentes protegit, & Spiritus sui donis inebriat, & regitat adiuuat consilia & actiones nostras, vt ambulemus in semitis suis & in nomine Domini Dei nostri, hoc est, vt viuamus congruenter voluntati & verbo ipsius, seu agamus ea, quæ Deo grata & nobis ac ecclesiæ salutaria sunt. Postremum Christi beneficium, est integra liberatio à peccato & morte & communicatio diuinæ lucis, sapientiæ, iusticiæ, vitæ & gloriæ æternæ.

De doctrina Christi propria.

DVæ sunt præcipuæ partes doctrinæ de Deo, quam Christus & omnes ministri fideles inde usque ab initio ecclesiæ tradiderunt: LEX, principiens quales nos esse, quæ facere, quæ omittere oporteat, insita natura hominum in prima creatione, & post annos 2453. in monte Sinai repetita & promulgata. Deinde EVANGELION seu promissio gratiæ Dei, remissionis peccatorum, iusticiæ & vitæ æternæ propter Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum pro nobis pasum & resuscitatum donandæ. Quæ doctrina in monte Zion per Christum annunciata, non natura nota, sed supra & extra conspectum humanæ rationis posita: conspicuus & accutus

ratis limitibus à lege in monte Sinai pronunciata discerni debet. De hoc discrimine legis & euangelij simul hoc in loco Propheta admonet, cum nouam legem seu nouam doctrinam ex Zion egressuram esse docet. Significat enim vocabulum Thorah, quod legem visitate verterunt, non solum legem Moysis seu Decalogum, sed in genere doctrinam seu institutionem, à verbo Iarrah, eiecit, voluntatem suam patefecit, instituit, docuit, erudiuit. Visitatissimè igitur in Psalmis & Prophetis vocabulum LEGIS planè idem valet quod doctrina à Deo tradita seu verbum Dei, Psalm. 1. Beatus vir, qui legem Domini meditatur die & nocte, i.e. qui doctrinam à Deo traditam, legem & euangelion de Christo, amat, discit, assidue meditatur, fide amplectitur & illi obedit. Psalm. 18. Lex Domini immaculata refollans animas: vbi propriè de euangelio Christi propheta vaticinatur. Psalm. 118. Dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est. Sciant autem studiosi, in eo Psalmo, Synonyma esse hæc oēto vocabula, quæ in singulis ferè octonarijs repetuntur. 1. Verbum Dei. 2. Lex Dei. 3. Testimonia Dei. 4. Mandata Dei. 5. Iustificationes Dei. 6. Iudicia Dei. 7. Sermones Dei. 8. Eloquia Dei. Hæc vocabula omnia nihil aliud significant, quam doctrinam à Deo traditam, seu verbum Dei, complectens legem & euangelion de Christo. Ita in hoc Micheæ loco, De Sion egredietur lex, i.e. Doctrina seu verbum nouum, non traditum antea in monte Sinai, videlicet euanglion gratiæ ex Sion propagabitur in totum orbem terrarum.

De officijs, quæ ecclesia, subdita regi Christo vicissim præstat.

IN politicis imperijs, subditi debent regibus, primū obedientiam erga leges regni, & opera militiæ togatæ ac bellicæ: & tributa, quæ neruos Republicæ Vlbianus appellat. Verum in Christi regno, nulla tributa aut vectigalia, sed duos principales & summos ac Deo gratissimos cultus, Deo ap̄ijs præstari posse Micheas affirmat. 1. Ire ad montem Domini & ad dominum Dei Jacob, i.e. ad ecclesiam veram, & diligenter ac attente AVDIRE Christum docentem nos de vijs suis per verbum in ore ministrorum sonans. Hoc verbum Dei assidue audire, discere, meditari, fide amplecti, non fastidire semel auditum, non aspernari, sed ad Christum docentem venire, & in verbo illius quietem animabus nostris querere & inuenire, gratissimum Deo opus est. 2. Ambulare in semitis eius i.e. viuere congruenter voluntati Christi, seu consilia & actiones vita ad normam verbi à Deo traditi instituere & gubernare. Prolixius autem de veris cultibus Dei Micheas cap. 6. concionatur, ut suo loco audiemus.

Defensio Ecclesiae sub C R V C E.

M irandam ecclesiæ collectionem, & inter multiplices miseras & calamitates conseruationem & defensionem: & poenas hostium regni Christi ac ecclesiæ horrendas: duabus prolixis concionibus in hoc quarto & quinto capite Micheas illustrat. Etsi enim ecclesia velut flōs & decus generis humani præcipuum, omnibus cæteris regnis, vera dignitate, in ipsius antececellit: tamen in his terris miser & spretus ac multiplicibus ærumnis oppref-

oppressus cœtus , & verè collecta exilio pubes , miserabile vulgus , esse vi-
detur , sicut inquit Sophonias : Reliqui mihi in medio tui populum paupe-
rem & egenum , & sperantem in nomine meo , & hoc in loco Micheas , Col-
ligam claudicantem , & eieçtam congregabo , & quam affixi . Matth . II .
Cœci vifum recipiunt , claudi ambulant , surdi audiunt , pauperes euangeli-
zantur . Semper etiam ab Idolatis impijs & tyrannis in hoc mundo oppu-
gnatur & premitur , sicut dicit Micheas : Omnes populos ambulaturos esse ,
vnumquemq; in nomine Dei sui . postea prædictit filiam Sion in maximis do-
Ioribus & angustijs fore velut parturientem , & in Babylonem abductum iri .
Sed tamen inter has difficultates & dissipations , promittit Deus , se eccl-
esiām cruce oppressam & dispersam colligere , instaurare & defendere , & in-
stam ac gloriosam reddere velle . sicut inquit : Congregabo claudicantem ,
colligam eieçtam , ponam claudicantem ut habeat posteritatem , & infirmam
in gentem robustam : quæ verba Micheas , prolixiore concione enarrat Esa.
cap . 54 . Lætare sterlīs , Quia vt mulierē derelictam & mōerentem spiritu vo-
cauit te Dominus , & vxorem ab adolescentia abieçtam : dixit Deus tuus . Ad
punctum in modico dereliqui te , & in miserationibus magnis congregabo
te . Quod autem addit Micheas . Et tu turris gregis , nebulosa , filia Zion , decū tu-
um veniet , & veniet potest as prima , regnum filiæ Ierusalem : id ex Ebraeo aliqui
sic vertunt , Et tu turris Eder , Ophel seu Arx filiæ Zion , vsq; ad te venier po-
testas prima regnum filiæ Ierusalem . Est autem EDER oppidum Iudææ (Ios .
15 .) vicinum ciuitati Bethlehem . Genes . 35 . Jacob egredius inde (ex Bethle-
hem , ybi Rachel vxor illius mortua erat) fixit tabernaculum trans turrim E-
der . In eo loco Angelus Gabriel nuncium de Christo D O M I N O & saluatorē
ac rege montis Zion , nato in ciuitate Bethlehem , pastoribus attulisse scribi-
tur . Ad illum aduentum regni Christi , iuxta primas promissiones patribus
datas exhibiti , & in Bethlehem nati , alludere prophetam consentaneum est .
OPHEL propriè significat turrim seu arcem ad fauces montium extructam ,
quas Græci τύλας nominant . Talis fuit in vrbe Ierosolyma turris seu arx ,
supra vallem , quæ montem Zion , seu ciuitatem Dauid , à reliqua vrbe di-
uidebat : per quam vallem riuus Gihon labebatur . 2 . Paral . 33 . 27 . Ne-
hem . 3 . Eratq; turris illa , velut præsidium seu propugnaculum , ex quo &
hostes & alij ex vrbe Ierosolyma in arcem Zion irriguntur , poterant arcem .
Nomen autem habet Migdal , ab altitudine seu magnitudine . Ophel à ca-
ligine , quod caput inter nubila condat . Ideo nostra versio reddit nebu-
losa . q.d. Arx gregis filiæ Zion , seu ecclesia , et si est excelsa & sublimissima
pars generis humani , tamen hæc illius eminentia & gloria , caligine crux
& ærumnarum tecta , non ita conspici oculis carnis potest .

VIII.

Quatuor sunt præcipuae , inter REGNUM CHRISTI , & regnum Cyri &
Alexandri Magni , differentiae . Primum enim inter personas Regum sum-
ma dissimilitudo est . Nam Cyrus , Alexander , Augustus & alij reges mun-
dani , quantumuis potentes , tantum sunt mortales & imbecilli homines .
Christus vero Rex montis Zion , est I E H O V A , seu verè & natura Deus oce-
nipotens & æternus . II . Beneficia differunt , quæ subditis suis imperti-
unt . Reges Politici , externam disciplinam & pacem ac defensionem cor-
porum & fortunarum : Christus vero spiritualia & æterna bona , remissio
nem peccatorum , iusticiam , liberationem à peccato & morte , & vitam au-
gloriam

gloriam perpetuam, subditis suis donat. III. Differunt forma & modō gubernationis. Reges politici legibus externis & gladio seu armis & exercitibus subditos regunt & defendunt. Christus non armis corporalibus, non gladijs & hastis, sed solo verbo & Spiritu sancto ecclesiam gubernat. III. Stabilitate omnia mundi regna, quantumuis potentia & ampla, intereunt & extinguuntur, & reddit in nihilum quod fuit ante nihil. Christus vero Dominus regnat in monte Zion, ex hoc nunc & usque in æternum. Cumq; Rex æternus sit, ecclesiam quoq; ipsi subditam, non interire, sed in omni æternitate cum ipso viuere necesse est.

Caput V.

Nunc accingere ad bellum filia turmæ, obsidionem posuit contra nos: virga percutient maxillam Iudicis Israël. Et tu BETHLEHEM Ephrata, parvula es, ut sis in milibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit Dux in Israël, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. Propterea dabit eos usque ad tempus, quo parturiens pariet, & reliquæ fratum eius reuertentur ad filios Israël. Et stabit, &

PASCET in fortitudine DOMINI, in magnificentia nominis DOMINI Dei sui: & habitabūt: quia nunc magnificabitur usq; ad terminos terræ. Et erit iste Pax.

Assur cum veniet in terram nostram, & cum conculcabit palatia nostra, tum suscitabimus contra eum septem Pastores & octo Principes homines: & depascent terram Assur gladio & terram Nimrod lanceis suis. Et liberabit ab Assur, cum venerit in terram nostram, & cum conculcauerit terminos nostros. Et erunt reliquæ Iacob in gentibus in medio Populorum multorum, quasi ros à Domino & quasi pluuiia super her-

Eccbam,

* Ierosolyma exposita & obiecta turmis militarib. Assyriorum, qui te obsidebunt: & Chaldae postea excident: & reges ac principes Iudeos contumeliosè captiuos abducent. Sed tamen instaurabitur politia Iudaica, & non tantum urbs Ierosolyma, verum etiam Bethlehem restituetur, ut Christus ibi nasci possit. & ut adfligantur ab Antiochis, Romanis. ✓ Maria virgo, Esa. 7. & amplectentur euāgelion, & fiet una ecclesia Christi. * Esa. 11. In die illa Radix Iessæ stabit in signum populorum. & agnosceret & coletur Deus non tantum in angustis Iudeæ finibus, sed toto orbe terrarum.

bam, quæ non expectat virum & non sperat in filios hominum. Et erunt reliquæ Iacob in gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in iumentis syluarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum, Qui cum transfit, conculcat & rapit, non est qui cruat. Et exaltabitur manus tua super hostes tuos: & omnes inimici tui exciduntur. Et erit in die illa dicit D O M I N V S , Excindam quos tuos de medio tui, & perdam quadrigas tuas, Et excindam ciuitates terræ tuæ, & destruam omnes munitio-nes tuas. Et excindam maleficos de manu tua, & Diuina-tores non erunt in te. Et excindam sculptilia tua & statua-tus de medio tui, & non adorabis amplius opera manu-um tuarum. Et cuellam lucos tuos de medio tui & dele-bo ciuitates tuas. Et faciam in ira & in indignatione in gentibus, quæ non audierunt.

L O C I D O C T R I N A E I N S V P E R I O.
R I C A P I T E Q V A R T O I N D I C A T I E T
B R E V I T E R E X P O S I T I S V N T .

- I. De Tempore & loco aduentus C H R I S T I .
- II. De persona Christi.
- III. De officio Christi.
- IV. De Ecclesiæ propagatione & conseruatione miranda.
- V. De pœnæ hostium Ecclesiæ.

GOnstituta est à Deo Politia Iudaica præcipue ob hanc causam, n-
esset certus populus & locus, in quo Messias generi humano pro-
missus exhiberetur, döceret, victima fieret, & resuscitatus ex mor-
te conspiceretur, & ablegatis Apostolis regnum suum prædicatione eu-
angelij propagaret. Ut igitur certo scirent homines, vbi & in qua parte orbis
terrarum expectari Messias deberet: nominat in hoc capite Micheas opp-
dum ipsum, in quo Messiam nasci oportuit, videlicet Bethlehem Ephrata, Quæ in tribu Iuda duobus germanicis miliaribus à Ierosolyma versus mo-
riudem distat. (Nam & alia est Bethlehem in tribu Zabulon, Ios. 19.) Ita-
que hoc natale solum seu locum nascentis Christi diligenter & attente lu-
dæi obseruarunt, sicut ex Iohanne cap. 7. & Matthæo Euangeliſta apparet.
Qui etiamsi verba Prophetæ paulò aliter recitat, quam vel in fontibus Mi-
cheæ Ebræis vel L X X. Interpretum versione extant, (quam alioquin Apo-
stoli in toto ferè nouo Testamento sequuntur) tamen sententia Euangeli-
stæ cum Micheæ verbis omnino congruit.

Verba Micheæ ex fonte Ebraeo adscribantur Ebraice.

Et tu Bethlehem Ephrata, paruula (es) vt sis in millibus Iuda, Exe-
milia

mihi egredietur, qui sit Dux in Israël: & egressus eius ab initio à diebus aeternitatis.

Verio LXX. Καὶ σὺ Βηθλεὲμ ὁ οἰκὸς Φρατᾶ, ὅλιγος δὲ τοῖς ἐναῖς τοῦ Ιησοῦ χιλίαις, ἐκ τούτων εἰλέσθη τοῦ ἑναυτοῦ εἰς ἀρχοντα τοῦ Ισραὴλ. Εττο Βηθλεὲμ δομος Ephratha, parua es, ut sis in millibus Iuda, Ex te mihi egredietur, ut sit Dux Israëlis.

Locus Micheæ à Matthæo citatus, Cap. 2.

Καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ιερά, ὃνδαμῶς ἐλαγίσῃ ἐπὶ τοῖς ἡγεμόσιν Ιερά. ἐκ τούτου γένεται Ιησοῦς, ὃς εἰς τοιμαζοῦν λαόν μετὰ τὸν Ισραὴλ. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es inter Duces Iuda. Ex te enim exibit Dux, qui pascet populum meum Israël. Hinc apparet Matthæum euangelistam non anxiè ipsa Micheæ verba annumerasse, sed sententiam Prophetæ interpretatum esse. In locum vocabuli Ephratha (quod vberem seu fructiferam significat, & vetus cognomen est Bethlehemæ oppidi Iudææ, prope quod Rachel vxor Patriarchæ Iacob sepulta est, Genes. 35.) substituit Euangeliſta terram Iuda, vt discerneret Bethlehemam Iudææ oppidum, ab oppido Galilææ eiusdem nominis, cuius Ios. 19. mentio fit. Sequentia verba in Ebro (Paruula es in millibus Iuda) pugnare videntur cum verbis Euangeliſta (Nequaquam minima es in Ducibus Iuda) sed attenus lector videt sententiam planè congruere. Etsi enim exiguum & humile oppidum est Bethlehem, tamen postquam Christus Dominus in eo natus est, nequaquam minimum, sed omnium in tota Iudæa nobilissimum & celeberrimum fuit. Quod si vocabulum *z. a. i. r.*, aduerbialiter seu neutraliter exponas, pro *p. a. r. v. m.* est (nam Ebrai s̄epissimè pro neutro genere masculinum usurpant) tunc congruet hæc particula (Parum est ut sis in millibus Iuda) cum Euangeliſta verbis (Nequaquam minima es in millibus seu Ducibus Iuda.) Ebrai enim eadem voce Alephim, & mille, & Duces, qui millibus præſunt significant: sicut Romani Centuriones nominant, qui præſunt centum milibus. Particulam, Qui pascet populum meum, Euangeliſta ex sequenti concione Micheæ inferuit, vt explicet, Qualis Dux seu Princeps, Christus futurus sit, videlicet, non politicum sed spirituale regnum administraturus, qui verbo suo ecclesiam pascet, & liberabit, non ab Aegyptijs, Philistinijs, Assyrijs, sed à peccato, morte, tyrannide Diaboli, & eterna damnatione. Quodverò ad tempus venturi Christi attinet, prædicit Micheas, Politiam Iudaicam prius bello vastatum iri, & urbem Ierosolymam obſidione captum & euerſum, & reges Iudaicos ignominiosè in captiuitatem abductum iri, prius quam Christum in Bethlehem nascatur. Propterea *d. a. b. i. t.* Israël Deus in captiuitatem Babyloniam, & postea reduc̄tos finit ab Antiochis & Romanis adfligi, *v. s. q. v. e. a. d. t. e. m. p. v. s. à. D. e. o.* definitum, videlicet annum mundi 3962. in quo virgo Maria parturiens pariet Christum salvatorem, & postea reliquie decem tribuum reuertentur ad filios Israël, seu una cum membris veræ ecclesiæ euangelion Christi fide amplectentur & salui erunt, vt Galat. 4. dicitur. Postquam venit plenitudo temporis, (postquam expletum est tempus à Deo constitutum, Dan. 9. & alibi) misit Deus filium suum, natum ex muliere illa, de qua prima promissio edita est, Semen mulieris conteret caput serpentis. & Esa. 7. Ecce virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Immanuel.

De persona Christi.

Duas in Christo naturas, diuinam & humanam, copulatas & vnitatis esse, docet Micheas, cum duas egressiones Christi perspicue distinguit. Alteram ex oppido Bethlehem, in quo paulo ante completos quater mille annos mundi, homo natus est. Alteram longe hac antiquiore & priorem, qua ab initio mundi, immo ab omni eternitate, ex substantia eterni patris genitus est, & ab ipso mundi principio, & deinceps, ex arcano sinu patris egressus, se ecclesiæ patefecit, tradita & subinde repetita ac illustrata promissione de semine, & alijs mirandis factis ac liberationibus editis, sicut Iohan. 1. dicitur. λόγος erat in principio apud Deum. Iohan. 8. Antequam Abraham natus esset, Ego sum, videlicet Ichoua, ἐποντος. Deo Patri eterno.

De officio Christi, qui erit Dux Israëlis, & pastor, ac pax ecclesiae suæ. Recitauit autem in secundo & quarto capite definitionem Regis seu Dux Christi, & discrimen inter regnum Christi & mundi, de quo ipse inquit, regnum meum non est de hoc mundo. Item, Reges gentium dominantur, vos autem non sic. Non igitur erit rex vestrum bellum, similis Iulio Cæsari, Scipioni, Cyro, Alexandro magno, nec externa & peritura huius vitæ bona subditis suis impertiet, sed a spiritualibus & summis malis, a peccato, a morte, a tyrannide Diaboli & eterna damnatione, ecclesiam liberabit, & veram Dei agnitionem, iusticiam & salutem eternam omnibus ad se confugientibus largietur. Coloss. 2. Condonavit nobis omnia peccata, & delicta Chirographum, quod contra nos erat, per decreta, & illud sustulit è medio, affixum cruci: expoliatosque principatus ac potestates ostentauit palam, triumphans de illis per semetipsum. Talem Ducem triumphantem Esaias etiam cap. 11. pingit, *In die illa radix Iesse* (Christus ortus ex posteritate Davidis, filij Iesse) *stabat signum popolorum* (erit Dux gerens vexillum, videbile prædicationem euangeli) *Ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum*, quia ex sepulchro, deuicta morte resurget. Prodicit eodem verbo Micheas hoc in loco vtitur, & *stabat*, quasi dicat, regnum Christi stabile, firmum & immotum erit, quod nulli furores Diabolorum aut tyrannorum euertere poterunt. Matth. 16. Portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Et *Pascet in fortitudine Domini*, Pastoris duo sunt officia. Pascere ecclesiam doctrina verbi diuini. Ut enim pabulo conueniente, seu pane, haec corporalis hominum vita alitur & fouetur: sive verbum Dei auditum & cogitatum spiritualis animæ vita, vera agnitus Dei, Fides, Iusticia & Obedientia Deo placens in mentibus accenditur. Posunt autem quatuor genera pascuorum salutarium præcipua distribui. 1. Doctrina de omnibus articulis Fidei. 2. Accusatio peccati seu concilii Legis. 3. Consolatio Euangeli proponenda perterrefactis. 4. Adhortatio ad nouam obedientiam seu omnia bona opera cum voluntate Dei congruentia. Secundum officium pastoris est defendere oves aduersus lupos, diabolos, tyrannos & hereticos pelle ouina verbi diuinæ testos, scut Christus animam & vitam pro salute ouium suarum exponit. Ioh. 10. Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ouibus. Ezechiel. 34. Et suscitabo super ea pastorem unum, qui pascet ea, seruum meum David, Ipse pascet ea, & ipse erit eis in pastorem. Huc integrum caput Ezech. 34. pertinet. Psal. 23. Dominus pastor meus, nihil mihi decrit in lo-

in loco pascuae ibi me collocauit: super aquam refectionis deduxit me, &c. Haec ipsius Christi & prophetarum conciones, omnium optimus commentarius sunt in praesentem Micheas locum, qui pastorale Christi officium uno verbo pascendi significat. Pascet autem & defendet ecclesiam in fortitudine DOMINI, & in magnifico nomine seu verbo DOMINI Dei sui, non humanis viribus aut armis & praesidijs corporalibus, sed potentia & efficacia diuina, ecclesiam verbo euangelij colliget, reget, defendet, & victa morte & abolito peccato, PACEM ecclesiae, & laetitiam ac gloriam aeternam impertiet. Rom. 5. Justificati fide pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum. Iohann. 14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non sicut mundus dat, ego do vobis. Coloss. 1. Per eum reconciliauit omnia in ipsum, & pacem fecit per sanguinem crucis eius.

De ecclesia propagatione & conseruatione miranda.

Definitionem ecclesiae qualemcumque cap. 4. & 2. recitaui. Quam in hac concione Micheas alijs verbis & figuris repetit, Quod sit coetus hominum, ex omnibus terminis & populis terrae collectus, qui magnificant DOMINVM. recte Deum agnoscunt & celebrant, & non humanis viribus aut operibus, sed rore coelesti, per euangelion & spiritum sanctum renati, aluntur & reguntur ad vitam & gloriam aeternam. Hic coetus verae ecclesiae, et si respectu infinitae multitudinis impiorum vix exiguae generis humani & populorum multorum reliquias complecti videtur, tamen per se amplissimum hominum numerum in omnibus terrae locis complectitur, sicut hic inquit Micheas. Magnificabitur Dux Israe lis usque ad terminos terrae: quod plane congruit cum illo Psalmi 18. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrae verba eorum. Confert autem Micheas ecclesiam herbarum, que non expectat virum, nec sperat in filios hominum. i.e. non ullius hominis opera, sed rore & pluvia coelesti a Domino rigatur & fouetur. Sic & ecclesia non humanis traditionibus, studijs aut operibus constituitur, seruatur & augetur, sed solo manna coelesti, videlicet verbo euangelij, a Domino ex celis per ora ministrorum deplente, plantatur, alitur, & recreatur: sicut herbae aestu languefactae & omni humana rigatione destituta, pluvia & rora recreantur & reuirescant. Eadem similitudine vtitur David Psalm. 110. Ex utero oritur tibi ros generationis tuae. Et Esaias cap. 55. Sicut pluvia foecundat agrum, ita verbum meum non reuertetur ad me vacuum, sed operabitur omnia, ad quae misi illud, quantumuis omnes tyrannorum & inferorum portae aduerterentur. Itaque & Micheas ecclesiam & prædicationem euangelij, Leoni inter oves fortiter grassanti, & ovinia obvia prosternenti, comparat: sicut euangelion Christi, omnia idola, & imperia sibi aduersantia, tandem prostravit, & euertit, Genes. 49.

De Peenis hostium ecclesiae spiritualium & corporalium, Iudeorum & gentium, euangelion Christi persequantium, tota posterior pars capitis concionatur. Et exaltabitur manus tua super hostes tuos, & omnes inimici tui excidentur, iuxta Psal. 110. Dixit Dominus Dominus meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaerabit capita in terra multorum. 1. Corinth. 15. Nouissimus hostis abolebitur mors. Psalm. 2. Seruite Domino in timore, Osculamini Filium, ne quando irascatur, & pereatis de

via, cum exarserit in breui ira eius. Sententiam de Assyrijs & Babylo-
nijs, per septem pastores, & octo Principes, reprimendis, intelligo simpli-
citer de Principibus Medorum & Persarum, qui annis 150. post Micheam,
Assyrios & Babylonios, eversores politiae & ecclesiæ Iudaicæ, punierunt, &
imperium Babylonicum euerterunt. Septem & octo, numerus certus pro
incerto ponitur, vt Amos 1. cap. Propter tria & quatuor scelera Damasci
non parcam ei i. propter multa scelera. Eccle. 11. Sparge panem tuum
super aquas, da partes septem & octo i. multas partes. Alij hunc lo-
cum, non secundum literam, sed allegoricè interpretantur de multis pasto-
ribus & doctoribus euangelij, per quorum ministerium, terra Assur & Ba-
bylonica, gladio verbi Dei, ad obedientiam Christi subacta: & non obed-
entes euangelio, horrendis poenis & æterno exitio subiecti sint.

Caput VI.

Concio 1.
G 1 s arguens
Principum &
populi Israël
peccata.

I.
Ingratitudinē
pro benefi-
cijs in educti-
one ex Ae-
gypto exhibi-
bitis.
Num. 12.23.
.24.

II.
Falsas opini-
ones de sa-
cerdicijs & cul-
tibus.

III.
Iniustiam
& fraudes in
contractibus.

Vdite quæso ea, quæ D O M I N V S loquitur. Sur-
ge, obiurga montes, & audiant colles vocem tu-
am. Audite montes obiurgationem D O M I N I ,
& fortia fundamenta terræ, Quia lis est D O M I N O cum
populo suo, & cum Israël disceptabit. Popule meus quid
feci tibi aut quid molestus fui tibi? Responde mihi. Quia
eduxi te de terra Aegypti, & de domo seruientium redemi-
te: & misi ante faciem tuam Mosen, Aaron, & Mariam.
Popule meus, memento quæso, quid consultarit *contrarie*
B A L A C Rex Moab, & quid responderit ei B I L E A M fili-
us Beor, à S I T T I M usq; ad G I L G A L , ut cognosceres iu-
sticias D O M I N I . Quare occurram D O M I N O ? Incurua-
bor coram Deo excenso. Nunquid occurram ei holocau-
stis & vitulis anniculis? Nunquid placabitur D O M I N V S
millibus arietum *aut* decies mille torrentibus olei? Nun-
quid dabo primogenitum meū pro scelere meo: fructum
ventris mei, pro peccato animæ meæ? Indicauit tibi D O-
M I N V S , ô homo, quid sit bonum, & quid requirat à te,
nempe, facere Iudicium, & diligere beneficentiam, & hu-
milater ambulare coram D E O tuo. Vox D O M I N I ad-
uitatem clamabit. Et vir sapientiae videbit nomen tuum.
Audite virgam & eum qui testatur de ea. Adhuc ignis in do-
mo iniqui, thesauri iniqui: & mensura minor, quæ est abo-
mina-

minabilis. Nunquid mundus ero cum statera iniqua, & facculi ponderibus dolosis? cuius *urbis* diuites *omnia* impleuerunt iniurijs, & habitantes in ea locuti sunt mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum. Quare & ego cœpi percutere te & perdere propter peccata tua. Tu comedes & non saturaberis: & depresso tui erit in medio tui. Et apprehendes, & non euadere facies, & quod eripueris, gladio dabo. Et accedes ad uxorem & non pariet, & quod partum fuerit dabo gladio. Tu seminabis & non metes, tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo, & mustum, & non bibes vinum. Quia custodisti præcepta A M R I & omne opus domus A H A B, & ambulasti in consilijs eorum. Propterea dare te volo in desolationem, & habitatores eius insibilum, & opprobrium populi mei portabitis.

III.
Rapinas.
V.
Mendacia.

Communi-
tio Pœna-
rum, ut ad
pœnitentiam
reuocentur.

LOCI PRÆCIPVI DVO SVNT.

I.

Oncio pœnitentiæ, arguens Principum & populi peccata: & præcipue ingratitudinem pro summis beneficijs in miranda liberazione ex Aegypto acceptis: Item falsas opiniones de sacrificijs & cultibus. Iniusticam & fraudes in contractibus. Rapinas, mendacia, &c. Propter quæ, horrendas pœnas & totius regni vastitatem & interitum, comminatur. Hæc totius capitii summa est.

II. *Doctrina de veris cultibus Dei, & verorum ac falorum cultuum discri-
men.* Cūm autem homines ideo conditi sint, vt D E V M recte agnoscant & colant: manifestum est hanc doctrinam de vero cultu Dei omnibus nobis necessariam & salutarem esse. Definit autem Micheas, cultum Dei, seu bona opera, esse, non ceremonias seu gestus externos, nec sacrificia pendulum sumptuosa, vel alia, sed esse opera, quæ Deus à nobis in suo verbo requirit & flagitat, videlicet præluciente vero timore Dei & fide facere iudicium, & diligere misericordiam, & humiliter ambulare coram Deo suo, propter hunc finē, vt Deus honore afficiatur: vt testemur hunc verè esse Deum, cui hanc obedientiam & grati animi testimonium præstamus. Cūm autem in vniuersum tres sint gradus operum seu cultuū, qui ab hominibus Deo præfari solent: Primus & summinus gradus, & velut anima & vita reliquorum bonorum operum, est verus timor Dei & fides in Christum, ac obedientia cordis interior, quam Deus in primo præcepto flagitat, quam vnico verè pietatis nomine vulgo complecti solemus. De hoc primo & summo gradu cultuum Micheas loquitur, cūm iubet humiliter ambulare coram D E O. Deum recte agnoscere, vero corde timere, inuocare, diligere, pijs laudibus celebrare, & in omnibus vitæ consilijs & actionibus regendis, ac præcipue in cruce & ærumnis, Deo reuerenter obedire. Secundus gradus

Ee 4 sunt

sunt externa honesta opera moralia, quae in secunda Decalogi tabula praescribuntur, seu officia iusticiae & dilectionis erga proximum: quae hic Micheas vniuersaliter Misericordiae complectitur. Nam omnia officia beneficentiae & ceterarum virtutum, quas erga alios homines exerceimus, non externis tantum gestibus simulari, sed ex vera misericordia seu dilectione & amore proximi debent proficiisci. Facere iudicium & iusticiam visitatissima scripturarum phrasim significat iusticiam vniuersalem, videlicet vitare peccata, & scelerata a Deo prohibita, & facere iusta ac honesta opera, quae Deus sua lege insuffit & praecepit. *Tertius gradus sunt Ceremonia & sacrificia*, quae non placent Deo, nec sunt cultus Dei per se, nisi praeluceat verus timor Dei, & fides, & obedientia moralis. Etsi igitur a Deo mandata erant populo Israe, ut essent signa & typi promissionis de sacrificio Christi, & ecclesiam huius populi ab alijs gentibus discernerent: tamen non merchantur remissionem peccatorum, nec erant iusticia & cultus Dei ex opere operato, seu non praelucente vero timore Dei & obedientia morali. Semper autem hic error de sacrificiis latissime in genere humano vagatus est, quod sive expiationes peccatorum & prius cultus, qui Deum propitium & fauientes offerentibus efficiant: Hac persuasione cumularunt sacrificia Ethnici, Iudei, monachi & alijs, ac ut in re magna & diffcili Israelite studium suum Deo declararent, & Deum magis propitium & clementem redderent: mactarunt non tantum pecudes, verum etiam homines, & quidem proprios ac primogenitos filios, sicut Achaz 4. Regum 16. & Manasses 4. Reg. 21. proprios filios idolo Moloch in valle Ennon cremarunt. Sic Agamemnon filiam Iphigeniam in Aulide sacrificio Diana destinauit. Alexander magnus & postea Julianus Apostata humanis hostiis in aditu Persiae litarunt. Hunc tetrum & tamen communem errorem & Micheas hoc in loco & certi prophetae acerrime taxant. *Ἴμος ετιαν εθνικι διεργασιαν τον Ιησον τον και διάσων, οι τουτους λιπαρα περιστασιαν αποδειπνη, αι τοιοις και δικαιοσυναι την τυχην, non persuaderi & flecti ac corrumpi Deum sacrificiis & munericibus, sicut auarum aliquem foeneratorem, sed animum offendit, an iustus & sanctus sit, intueri.* Oportet colere Deum & gaudescere, non gestibus arte simulatis, curuato genu & similibus, *αι ηθια τημωντας αρετην.* Sciamus igitur non aliter placere Deo sacrificia & ceremonias, nisi praelucente vero timore Dei & fidei, ac iusticia bona conscientiae seu bono proposito. Cum enim non est in corde bonum propositum seu obedientia moralis, tunc simulatione Ceremoniarum & sacrificiis, non colitur, sed magis offenditur & deridetur Deus, vt Ierem. cap. 7. multis verbis dicitur. Soletis furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baal, & ire post Deos alienos, & venitis, & statis coram me in templo hoc, & dicitis, Liberati sumus, etiam si fecerimus omnes abominationes istas. Nunquid ergo spelunca latronum facta est domus ista. Hac dicit Dominus, Non praecepi patribus vestris, in die qua eduxi eos de terra Aegypti de holocaustis & victimis (scilicet, hac opinione offerendis, quod sive cultus Dei per se, mereantur remissionem peccatorum, & placent iam Dei ex opere operato, etiam si sacrificantes sint sine vera penitentia, & omnibus sceleribus frenos laxent) sed hoc verbum praecepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulare in omni via, quam mandaui, ut bene sit vobis. *Esa. 1. Quoniam mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus, plenus sum honoris.*

locausta arietum, & adipem pinguium & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui. Cum veniretis ante coniectum meum, quis quæsiuit hec de manibus vestris, vt ambularetis in atrijs meis? Psal. 49. Non in sacrificijs tuis arguam te, holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus & boues. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua, & inuoca me in die tribulationis, & crua me, & honorificabis me. Ose. 6. Misericordiam volui & non sacrificium, & scientiam Dei plus quam holocausta. De hoc discrimine verorum & falorum cultuum monet etiam hoc in loco Micheas, & docet, infimum gradum cultuum esse ceremonias sacrificiorum, & haec non placere Deo, nisi prælueant veri & principales cultus, facere iudicium, diligere proximum, in vero timore Dei ac fide & bona conscientia coram Deo ambulare.

Nomina propria sexti capituli.

Eduxite de terra AEGYPTI) Exod. 13. 14. & deinceps. Græcis à rege Aegypto fratre Danai, Mosis οὐρανῷ nominata est. Ebrai vbiique in Bibliis terram Mizraim, à filio Cham Genes. 10. appellant. & Saraceni ac incolæ Aegyptij hodierna die se Mizrai seu Mizri (.i. tribulantes, adfligentes) vocant.

Educationem ex Aegypto & feriem mutationum in regno Aegypti præcipuarum supra in enarratione Iosuæ 24. breuiter complexus sum, vnde huc aslumi possum. *Misi ante te MOYSÉN*) Duxi populi Israël ex Aegypto per diuisum mare rubrum egredientis & in deserto vagantis annos 40. summum post Filium Dei in ecclesia doctorem: & Fontem ac Oceanum Theologiæ, ex cuius, vt pote præceptoris sui, riuulis omnes cæteri prophetæ & Apostoli conciones suas rigarunt. Chronologiam vitæ illius breuem Iosuæ 1. recitaui. נָאָתְךָ extraclus ex aqua, Exod. 2. Et Aaron frater & oratorem Mosis, & summum populi Israëlitici in deserto vagantis sacerdotem, & typum Christi sacerdotis æterni. cuius historia Exod. 6. 4. 7. 19. 24. 28. 29. 32. Leuit. 8. 9. Num. 20. 23. recitatur. פָּנָא Aharon mons laudis, seu princeps laudum diuinorum. *Et Mariam*) fororem Aaronis & Mosis, ἡλέκτερον Gratiarum actionis pro miranda liberatione ex mari rubro, Exod. 15. Fit eiusdem mentio Exod. 6. Num. 12. 20. 26. מִרְיָם Miriam stilla maris, vel amaritudo dierum, vel doctrix populi, à docuit, & populus. *Balaach rex Moab*) Num. 22. 23. 24. בָּלָאָח extermans.

Balaam filius Beor) cuius historia Num. 22. 23. 24. 31. enarrata est. בָּלָאָח confusio populi, יְהוָה fatuus. *De Setibim*) ciuitate & palmeto ad Iordanem in campis terræ Moab sito, quæ fuit 42. & ultima mansio Israëlitarum in qua longo tempore commorati sunt. vbi omnia acciderunt, quæ à cap. 22. Numer. usque ad finem, & in toto Deuteronomio, & primis tribus capitibus Iosuæ commemorata sunt, בָּלָאָח spinæ. *Ad Galgalam*) prima castra, quæ Israëlitæ Iordanem transgressi in terra Canaan fixerunt: ex quibus omnes vicinas gentes deuicerunt, & vbi primum passa celebratunt, Ios. 4. 5. בְּגִילָּל Gilgal, à בְּגִילָּל voluit, amouit. Tunc enim, cum in terram promissam introduxerint, opprobrium Aegypti integrè ab Israëlitis auolutum & sublatum est, Ios. 5. *Custodisti præcepta A M R I*) exti regis Israël;

Israël, qui ædificauit Samariam & cultum peculiarem ibi erexit, & pater impij regis Achab fuit, 3. Reg. 16. *Et omne opus domus Achab*) qui cultum Baalin vrbe Samaria instituit & pertinacissimè defendit, 3. Reg. 16. 17. 18. 19. Sed alioquin res magnas contra Syros gessit, 3. Reg. 20. 21. 22. dicitur tota illius posteritas à Hieu, 4. Reg. 9. 10.

Caput VII.

NAE mihi, Quia factus sum, sicut collectores fructuum æstiolorum, sicut racematores vindemia, & non est botrus ad comedendum. Primogenita desiderauit anima mea. Perijt bonus de terra, & rectus inter homines non est. Omnes sanguini insidiantur, vnuſquisq; fratrem suum venatur ad perniciem. Ad malum manuum beneficiendum seu patrandum Princeps postulat, & Iudex iudicat propter retributionem seu munera. Et potens loquitur prauitatem animæ suæ & corroborantem. Optimus inter eos est sicut paliurus, & rectus est sapientia ex spinis contexta spinosior. *cum* Dies speculatorum suorum, visitationis tuæ venerit, tum erit distractio eorum. Non credatis amico, non confidatis in duce. A dormiente in sinu tuo custodi ostia oris tui. Quia Filius contumeliam facit patri, filia insurgit aduersus matrem suam, & nurus aduersus socrum suam, & inimici viri domestici eius. Ego autem ad D O M I N U M respiciam, sperabo in Deum salutem meam, Exaudiet me Deus meus. Non læteris inimica mea super me, quia cecidi. Resurgam. Cum sedero in tenebris, D O M I N U S Lux mihi est. Iram D O M I N I portabo, quia peccavi ei, donec iudicet causam meam, & faciat iudicium meum. Educet me in lucem, videobo iusticiam eius. Et videbit inimica mea, & operiet eam confusio: quæ dicit ad me, vbi est D O M I N U S Deus tuus. Oculi mei videbunt eam. Tunc critin conculationem sicut lutum platearum. Dies erit ut ædificantur maceriae tuæ. Die illa longe propagabitur preceptum. Die illa etiam vsq; ad te venietur ab Aslur, & ad uitati-

uitatibus munitis, & à munitione usq; ad flumen, & ad mare à mari, & à monte ad montem. Ererit terra in desolationem propter habitatores eius, propter fructum operum eorum. Pasce populum tuum virga tua, gregem hæreditatis tuæ habitantes solitariè in sylua, In medio campi pascentur, in B A S A N & G I L E A D , sicut in diebus antiquis. Sicut in diebus egressionis tuæ de terra Aegypti ostendam eis mirabilia. Videbunt gentes & confundentur ab omni fortitudine sua. Ponent manum super os, aures eorum surdæ erunt, lingent puluerem sicut serpentes, velut reptilia terræ contremiscent in latibulis suis. D O M I N U M Deum nostrum formidabunt, & timebunt te. Quis Deus sicut tu? remittens iniquitatem, & transiens præuariationem reliquarum hæreditatis suæ. Non retinet in perpetuum iram suam, quia amat misericordiam. Reuertetur & miserebitur nostri. Conculcabit iniquitates nostras, & projicit in profundum maris omnia peccata nostra. Præstabis veritatem (*promotionem quam dedisti*) Iacob, & misericordiam (*quam promisisti*) Abraham, quam iurasti patribus nostris à diebus antiquis.

L O C I P R A E C I P V I .

I. *Concio Legis arguens peccata.*

II. *De Fiducia in solo Deo ponenda.*

III. *De causis calamitatum Ecclesie, & de veris CONSOLATIONIBVS
opponendis.*

IV. *Vaticinium de regno Christi & propagatione euangelij & ecclesia Christi
in totum orbem terrarum.*

V. *Doctrina Euangelij propria de Remissione peccatorum, seu de IUSTI-
FICATIONE, quæ nihil aliud est, quam Remissio peccatorum, propter Christum,
per fidem nobis donata.*

C O N C I O L E G I S .

VSitata prophetis (Esa. 5. 56. Psalm. 79. Genes. 49. Deut. 32.) & Christo (Iohan. 15. Matth. 20. 21.) similitudo est, qua populum Iudaicum & totam ecclesiam pingunt imagine VINEÆ, cuius putator & cultor est Deus ipse, qui per verbum legis & euangelij, sonans in ore ministrorum, fœcundos palmites, veræ VITI Christo insertos, purgat, ut dulces & copiosos fructus veræ fidei, inuocationis, patientiæ, iusticiæ, beneficentiæ, & aliorum operum bonorum ferant, aridos autem palmites, & labruscas, contemnentes verbum Dei, & omnibus se sceleribus poluentes,

luentes, in æternum ignem abiicit. Queritur itaq; Micheas, se ministrum & cultorem Vineæ Domini expectasse fructus conuenientes verbo, quod prædicauerat, videlicet auditores pios, sanctos, modestos, castos, beneficos, iustos, bonos principes & subditos. Sed omnes obstinata malitia in suis sceleribus perseverare, & tantum deteriores post suam prædicacionem fieri. Nullum esse sanctum Hasid seu beneficium in terra, nec rectum seu congruentem ad normam voluntatis & verbi diuini. Verum omnes impios esse, & aliorum, præcipue vero Doctorum vitæ ac fortunis retia tendere & insidiari, & velut spinas pungere. Cumq; malum aliquod præmanibus habent & alios iniuste ledere vel opprimere, idq; non solum manifesta vi, verum etiam prætextu Iuris perficere cupiunt: auaros Principes & Iudices ἀρχόντες muneribus corrumpunt: atq; ita potentes, oppressis imbecillioribus, prauas cupiditates suas explent, & omnia pro libidine gerunt. Quare & diem Visitationis seu pœnæ certo imminere prædictit, in quo & tyranni principes ac potentes, & impij speculatori, qui potentibus adulati sunt, horrendis doloribus & angustijs opprimentur. Planc autem & verbis & sententijs congruit hæc prima pars Septimi capituli Micheas, cum quinto capite Esaiæ. Et similitudo de Vinea, commentario eruditus illustratur à Christo Iohannis 15.

Non credatis amico.

Non tantum Politica sententia est, quæ vafri illius Siculi, μέμονας τῶν, & Sophocleum illud, Σωφρόνιος οὐκ εἰσὶν οὐδὲν χειρομέτρεος βοτῖς, inculcit: sed in Doctrina de D e o, & cursu veræ pietatis & fidei ac confessionis tenendo, nulli homini assueranti aliquid extra verbum Dei, credendum, nec vllis blanditijs vel terroribus, coniunctissimorum etiam & potentum amicorum, à verbo Dei & vera pietate nos abducentibus, obtemperandum: Verum soli Deo, eiusque verbo, firma & immota fide innitendum & parendum esse monet. Citatur à Christo, Matth. 10.

Ego autem ad Dominum respiciam.

Propria ecclesia Dei sapientia est, in calamitatibus & pœnis, non frangi animo nec succumbere dolori, sed veris consolationibus stabilito & firmato pectore crucem diuinitus impositam placide ferre, & in D e o nobis benevolentie ac propitio firma fide ac spe acquiescere & latari. Ethnici nec causas calamitatum principales nec consolationes veras norunt, alij necessitate fatali, alij fortuito casu eas accidere, quasdam verò nostris erroribus & cupiditatibus accersi disputant. In consolando nullam D e i præfentis, auxilij, mitigationis, & liberationis diuinæ mentionem faciunt, sed necessitatis solummodo ferendi mala, quæ dolendo mutari non possunt, & exemplorum totius generis humani miserijs oppressi, & dignitatis patientie ac constantiae, &c. meminerunt. At Micheas hoc in loco, & principalem causam efficientem miseriarum indicat, videlicet P E C C A T U M in nobis habens, quod multò leuius quam pro merito Deus punit, & præcipuum acrimissimam & maximè efficacem consolationem proponit, D O M I N U M D E V U M, qui paterna benevolentia nos propter Filium complectitur, & nobis præfens adest in ærumnis, exaudit nostros gemitus, & sua promissione ac spiritu nos confirmat, ut perferre onus possimus: mitigat quoque immensa bonitate poenas peccatorum nostrorum, & tandem ex morte & omni-

omnibus malis nos liberatos resuscitat ad vitam, lætitiam & gloriam æternam. Hanc Fidem & spem in Deo nobis proprio & æternam salutem certō datur, adquiescentem, Micheas his verbis describit: Ego ad Dominum respiciam, sperabo in Dominum salutem meam. Cum federo in tenebris dolorum, misericordiarum & calamitatum, Dominus lux mihi est, qui veram consolationem, lætitiam & vitam mihi impertit. Adhibetur autem ad hanc Micheæ concionem commentarij loco Psalm. 91. Qui habitat sub adiutorio altissimi: & posterior pars capituli 8. ad Romanos, & 2. Cor. 4. 5.

Dies, ut adfidentur maceria tua.

De restitutione ecclesiæ Israël post euersionem ab Assyrijs & Babylo nijs factam, & inchoatione ac propagatione regni Christi per totum orbem terrarum, de vocatione gentium, & Christo pastore ac rege ecclesiæ, supra in tertio loco secundi capituli, & in tribus prioribus locis quarti capituli, & tertio loco quinti capituli breuiter dictum est. Inde igitur illa ad præsens Micheæ vaticinium assumantur; Quod muros Ierosolymæ concilcatæ instauratum iri per propagationem præcepti (de quo Psalm. 2. dicitur, Prædicabo præceptum, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Oculamini Filium, Beati omnes qui confidunt in eo) seu per prædicationem euangelij Christi toto orbe terrarum sparsi: ad quem pastorem & regem hæreditatis suæ, desolata & euersa terra & regno Iudaico propter peccata sua, ex Assyrijs & omnibus locis ac gentibus orbis terrarum (Psal. 72. Zach. 9. Dominabitur à mari ad mare, & à flumine usque ad terminos terræ) magna hominum multitudo conueniet, Quæ verbo euangelij in hoc mundi deserto copiose pascetur ac defendetur, & maioribus ac præstantioribus bonis, quam in eductione ex Aegypto, donabitur, æterna liberatio ne, vita, & gloria. Gentes etiam, abiecta omni suæ sapientiæ, fortitudinis & cultuum fiducia, nec docebunt amplius ac prædicabunt suas religiones & cultus, nec alios docentes audient, sed agnoscet peccata sua, & maledictionem iræ Dei & æternæ damnationis propter peccatum ipsis impositam: ideoque vero corde contremiscent, & peccare desinent, & vero timore Dei, omnia vitæ consilia & actiones, ad normam voluntatis & verbi diuini, conformabunt.

Quis Deus sicut tu? remittens iniquitatem.

Propria euangelij doctrina, & à legis concionibus, iram Dei & horrendas pœnas propter peccata denunciantibus, quas cap. 1. 2. 3. 6. audiimus, longissime discernenda est PROMISSIO REMISSIONIS peccatorum & vitæ ac salutis æternæ, ex gratuita Dei misericordia propter Christum semen, Abrahæ & Iacobo promissum, donandæ. Nam lex non promittit remissionem peccatorum, nec quenquam hominum à peccato & morte liberat, sed omnes pariter pronunciat reos esse iræ Dei & presentium ac æternarum pœnarum propter peccatum. Euangelij vero vox propria est, quam Petrus Actorum decimo recitat: Christo omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnem, qui credit in eum. Et Paulus Rom. 3. Iusticia Dei sine lege reuelata est, testificata per legem & Prophetas. Omnes enim peccauerunt, & carent gloria Dei, Iustificantur autem gratis, Dei gratia, per redemptio-

demptionem factam in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorum per fidem in sanguine eius, ad ostendendam iusticiam suam in eo, quod remittit peccata, quae adfuerunt. Est autem hec Micheæ concio interpræcipua prophetarum testimonia; quæ iusticiam euangelij, seu Remissionem peccatorum propter Christum donatam describit, illustratam expositione causarum, efficientis, impulsuæ, & formalis.

Causa efficiens principalis iusticiæ est Deus immensa bonitate & misericordia remittens peccatum, vt hic dicitur: *Quis Deus sicut tu remittens iniquitatem.* Rom. 8. Deus est qui iustificat. Causæ Impulsuæ, quibus mouetur Deus, vt peccata nobis remittat, sunt, non virtutes & benefacta nostra, sed Dei veritas & misericordia seu gratia Abrahæ & Iacob, propter semen benedictū promissa, & iureiurando Dei confirmata, Gen. 22. Psalm. 110. Quod epistola ad Ebræos cap. 6. euoluit. Causa formalis iusticiæ nostræ coram Deo est gratuita remissio seu condonatio peccatorum nostrorum, imputata nobis per fidem aliena Christi iusticia, qui suæ obedientia in passione & morte, debitum pro nobis persoluit, & iusticæ diuinæ integræ satisfecit. Hanc causam formalem Micheas hoc in loco lexies mutatis verbis ferè synonymis per Expolitionem repetit. 1. Remittit iniquitatem, seu leuat & tollit à nobis iniquitatem, Psalm. 32. Beatitudines quorum remissæ sunt iniquitates. 2. Transit seu præterit, nec aspicere dignatur peccata eorum, qui in Christum credunt. 3. Non retinet in perpetuum, sed immensa bonitate & misericordia remittit iram suam aduersus peccatum, Psalm. 102. Non in perpetuum irascetur, misericors & misericordior Dominus, nam totus ille Psalmus, velut insignis commentarius, ad presentem Micheæ concionem adhibendus, & de verbo ad verbum à singulis ediscendus est. 4. Reuertitur ad nos & miseretur nostri, quos propter peccata iratus dereliquerat & deseruerat. 5. Subiicit & supprimet pedibus ac conculcat seu pessundat iniquitates nostras, vt plane aboleantur & in æternam obliuionem veniant. 6. Projicit in profundum maris omnia peccata nostra, ubi tecta & sepulta, non amplius à quoquam conspicui poterunt. Hæc eam ob causam tot verbis inculcat Micheas, vt veram & efficacem consolationem venenatis mortibus desperationis opponendam animi teneant: ac vt doceat, iusticiam nostram coram Deo, nihil aliud est, quam gratuitam Remissionem seu condonationem peccatorum nostrorum: nec duas esse partes iusticiæ seu iustificationis nostræ, Remissionem peccatorum propter Christum, & renouationem naturæ per spiritum sanctum, seu nouam obedientiam, seu nostras qualitates & virtutes. Ideo & hoc in loco Micheas & vniuersa scriptura remissionem peccatorum per Christum prædicans, ostendit totam salutem & iusticiam nostram in ea positam esse. Et Paulus Rom. 3. & 4. ubi ex professo articulum Iustificationis integræ & accuratè explicandam suscipit, diserte iusticiam & beatitudinem hominum, in remissione, aut non imputatione peccati collocat. *Et imputare iusticiam affirmat idem esse, quod non imputare vel tegere peccatum.* Nec ullam in toto illa explicatione renouationis aut regenerationis seu vivificationis seu nouitatis vitæ mentionem vel unico verbo facit. Non igitur potest pars iusticiæ coram Deo constitui nostra nouitas aut vivificatio, cum in eo loco, qui absolutissimam in tota scriptura & perfectam doctrinæ Iustificationis explicationem continet, a Paulo ne quidem nominatur. Sed solius Remissionis peccatorum seu imputationis iusticiæ meminit: ac inter cetera ad. Chrt.

Christum à Deo propitiatorē constitutum esse per fidem in sanguine eius, ad ostendendum, quod iustificet Remissione peccatorum, quae adfuerunt. Postea saepe *Iustificationem* *opponit condemnationi*, & quidecum promiscue vocabulis *Iustificationis*, *Remissionis* peccatorum, *reconciliationis*, *imputationis* iusticiæ vtrit. Sicut & Christus Luc. 18. publicanum petentem reconciliationem seu remissionem peccati, affirmat iustificatum descendisse in dominum suam. Deniq; tota etiam scriptura veteris Testamenti, ac in primis Esaías cap. 53. 40. 43. 44. 38. 35. & alibi, iusticiam & salutem nostram in sola Remissione seu deletione peccatorum per Salvatorem Christum facta collocat. Ad hanc confirmationem, quæ sola errorem de duabus iusticiæ partibus euertere potest, accedit nativa & genuina & perpetua significatio verbi *Iustificare*, quod in Ebræa lingua ubiq; nihil aliud significat, quam absoluere à peccato & condemnatione, seu iustum pronunciare, ut plurimis testimonij Deut. 25. Proverb. 17. Esa. 5. 43. 50. Psal. 81. 142. confirmari potest. Nec aliter hoc verbum à Christo usurpatum esse inuenietur, Luc. 7. 10. 16. 18. alibi. Accedit eō testimonium Græcæ linguae, in qua vox δικαιοῦν, qua Paulus Ebræam vocem Hizdik expressit, usitatissime profus idem valet, quod iustum putare seu iustum censere, cuius significationis multa tūm in ceteris scriptoribus Græcis, tum verò in solius Herodoti lectio, circiter viginti duo illustria exempla obseruaui. Cūm autem de Deo & omnibus fidei articulis ita sentiendum sit, sicut se patefecit, & ex sermone diuino sumenda sit sententia, quam phrasis linguae sacræ & verba propriè intellecta gignunt: non dubium est, quin iustificare, propriè & verè, nihil aliud sit, quam à peccato absoluere & iustum pronunciare. & iustificatio sit peccatorum nostrorum seu debiti condonatio, imputata nobis aliena Christi iusticia, seu solutione debitū à Christo facta. Iam si nostra nouitas seu virtutes in nobis harentes, Remissione peccatorum seu imputationi iusticiæ Christi velut pars iusticiæ coram Deo, assuantur: manifestum est iusticia & verità Christi debitum honorem & gloriam integræ & perfectæ iusticie, & quæ sola in iudicio Dei subsistere potest, auferri. Nec minus adimit conscientijs certam & firmam consolationem & fidem languefacit & extinguuit conditio nouitatis seu Renouationis addita promissio, quam conditio meriti seu dignitatis propria, & facilis à nouitate ad nouam obedientiam seu bona opera transitus est, ut hæc quoq; pars esse nostræ iusticiæ, atq; ita ad Iustificationem & salutem nostram, velut pars principalis ad totum constituendum, necessaria esse dicantur. Grauissime autem Lutherus inquit: *Nisi Deus oculos* *sus auerterit, non tantum à peccatis, sed & à virtutibus nostris, non saluabimur.* Nam & virtutes nostræ in hac vita velut menstruatæ pannus pollutæ sunt, & iudicio seueri illius iudicis nequaquam opponi possunt. Itaq; Paulus simpliciter omnia opera ante & post primam conuersionem facta à Iustificatione excludit. & nouitatem vitæ seu renouationem naturæ per spiritum sanctum, Rom. 5. 6. 7. accuratè discernit à Iustificatione, cuius doctrinam cap. 3. & 4. absoluerait. & Rom. 8. Galat. 4. Ephes. 1. & alibi donationem Spiritus sancti inquit, esse sigillum & arrhabonem iusticiæ & iustitios. Quare nullo modo iusticiæ nostræ pars esse renouatio Spiritus sancti potest. Cumq; nemo domicilium & templum Spiritus sancti esse posset nondum coram Deo iustificatus: & Spiritus sancti donatio sit initium seu causa efficiens renouationis & vivificationis: perspicuum est, vivificationem, quæ ordine naturæ posterior est Iustificatione, nequaquam iusticiæ partem esse. Alioquin enim illud etiam

consequeretur. *Non omnes fide in Christo adquiescentes ex aequo iustificari, sed alium alio magis iustum & Deo placentem esse, sicut necesse est fateri renovationem seu dona spiritus sancti in alio maiora & illustriora esse, in alio minus illustria.* Atqui iusticia Dei aequalis est in omnes & super omnes, qui credunt. Nam Deus remittens peccata perfecte iustum reputat hominem, eumq; in gratiam recipit, perinde ac si non modò labe nulla peccati pollutus esset, verum etiam perfectam Legi Dei obedientiam exhibuisset, quam Christus pro nobis praestitit. *Huic iusticia Christi, cum perfecta & integrata, nostram nouitatem aut virtutes & opera addere: perinde est ac si quis purpurea uigie aut vesti ex auro vel margaritis contextæ folidum & cœnosum lodicem assuat.* Posseint & aliæ graues causæ & argumenta recitari, cur hæc corruptela duas partes Iustificationis constituens, quæ ex libro interim & Olsantri disputationibus in nostras etiam ecclesiæ irrepsit, summo studio & diligentia ex veræ ecclesiæ agro & finibus exterminanda sit. sicut Paulus, Lutherus & omnes recte docentes & nostræ etiam ecclesiæ semper accuratæ nouitatem vitæ, seu nouam obedientiam à Iustificatione distinxerunt. Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, qui primus ex sinu æterni Patris arcanum decretum de redemptione protulit, & ipse nobis factus est à patre, Sapientia, iusticia, sanctificatio & redemptio, uolumen doctrinæ suæ, & in primis puram & incorruptam euangelij de Iustificatione & æterna salute nostra sententiam, apud nos seruet & obsignet. Et omnium nostrum studia & labores & vniuersum vitæ cursum gubernet, ut ipse, vna cum eterno Patre, & Spiritu sancto, recte à nobis agnoscat & vere celebretur.

F I N I S E X P L I C A T I O N V M
I N M I C H E A M.



I N P R O.